J. J. Resen.
Logologia sacra.
Diss. I–II.
Hafn., 1640–41.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

1,-240.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01342 5
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

LOGOLOGIÆ SACRÆ

Diſputatio prior,

DE ΛΟΓΩ CONSIDERATO AB Æterno, ex v. 1 & 2, cap. I. Evangelij Johannis.

Quam

D. O. M. A.

In Regiâ Academia Hafnienſi, ad diem 22. Aprilis, loco & horis conſvetis,

Præſide

JOHANNE JOHANNIS
Reſenio S. S. Theolog. D. & Profeſſore ordinario,

Publicè defendendam ſuſcipiet,

Joannes Joannis Karmarchius,
Phil. B.

HAFNIÆ,
LITERIS SARTORIANIS.

ANNO, M, DC, XL.

1112

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Cyrillus Alexand. Lib. 1. in Joh. editionis Paris. 1638. Tom. 4 pag. 8.

EVangelia invicem concurrunt ad divinorum dogmatum explicationem, & ad vnum, velut à carceribus, feruntur ſcopum. Diverſus autem in iis qvodam modo habitus orationis texitur, & mihi ſimiles eſſe videntur nonnullis, qvi juſsi qvidem ſunt in vnam vrbem convenire, ſed per vnam eandemq; regiam viam non utiq; viſum eſt procedere.

Et pag. 14, & 15.

QVemadmodum bonus & laborioſus hortulanus ligone & laboribus oblectatur, lumboſq; præcinctus, & qvo par eſt agreſti habitu indutus, omnem ſuam curam in purgando horto & eradicandis ſpinis ponit, aliamq; poſt aliam eruere non ceſſat, & circumeundo raſtri dente verſare ſi qvid eſt noxium: ſic etiam beatus Johannes vivens & efficax, & acutiſsimum Dei verbum in mente gerens, & acutiſsimè atq; ſagaciſsimè malignitatis Hæreticorum acerba germina circumſpiciens, ad ea curſim qvodam modo fertur, ac ſtatim omni ex parte ſuccidit, lectoribusq; ſuis tuendæ rectæ fidei modum ſuppeditat.

In

In nomine Jeſu Chriſti.

THESIS.

I.

JOhannes, homo ille verè gratioſus, ut pote quem gratia Domini perfudit Joh. 13. 23. & 19. 26, & 20. 2. & 21. 7. ex quâ gratiæ ubertate refluxit amor & ſtudium erga Dominum, Joh. 18. 15. & 19. 27. & 20. 4. natus in Betzaidâ, ad ſtagnum Geneſareth ſive mare Tiberiadis ſitâ, qvam cum Petro, Andreâ & Philippo Apoſtolis, communem habuit patriam, Math 4. 18, ſeq. Marc. 1, 16. ſeq. Joh. 1. 44. 45. & 12. 21. Filius Zebedæi Math. 4. 21. & 10. 2. & 20. 20. & 26. 37. & 27. 56. Marc. 1. 19. 20. & 3. 17. & 10. 35. Luc. 5. 10. Joh. 21. 2. & Salome, qvod ex collatione locorum Math. 27. 56. & Marc. 15. 40. colligi poſſe videtur: qvi ab officio, & vocatione immediatâ à piſcaturâ ad Apoſtolatum Math. 4. 21. Marc. 1. 19. 20. vocatur Apoſtolus Math. 10. 2. Luc. 6. 13. 14. ſicut à prompto obſeqvio & animo diſcendi cupidiſſimo, tàm à Johanne Baptiſta Præcurſore, qvàm à Chriſto Domino, Diſcipulus, tum paſſim communiter, tum ſpecialiter Joh 1 15. 17 & 18. 15. 16. & 19. 26. 27. & 20. 2. 3. 4. 8 & 21. 7. 20. 23. 24. à ſcriptione Evangeliſtâ Eſa. 41. 27. Eph. 4. 11. à peculiari Zelo in prædicando Evangelio, ſive, ut Ephiphanio placet, à grandiloqventiâ, non ſine omine myſteriorum cœleſtium, cum divinâ gravitate ex alto, FILIUS tonitrui Marc. 3. 17. tandemq; Columna Gal. 2. 9. nominatur; qvartum ſeu vltimum nobis literis conſignatum reliqvit Evangelium.

II.

Qvanqvam enim unâ ſit hiſtoria Domini noſtri Jeſu Chriſti, qvæ Ευαγγέλιον ɔ: lætum & felix nuntium dicitur, Hebræis בְּשׂוֹרַת à בָּשָׂר .i. e: carne, non ſine myſterio τοῦ λόγου caro facti, Joh. 1. 14. qvoniam conſcientiis ſenſu peccatorum conſternatis, ni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

hil lætius annunciari poteſt qvam gratia Dei, in Jeſu Chriſto, magni conſilii ἐυαγγέλω, & capite Eccleſiæ Eſ. 9. 6. Eph. 4. 15 & 5. 23. Coloſſ. 1. 18. & 2. 10. nobis exhibita, ſicut hiſtoria hæc teſtatur; Et ſic unum Evangelium tum ratione Subſtantiæ, conſenſus & harmoniæ, tum ratione Subjecti circa qvod, Chriſti ſc. cujus nominatur Evangelium Marc. 1, 1, tum ratione Subjecti cui, qvum ad omnes pertineat, Math. 26. 13: Qvatuor tamen dicuntur reſpectu totidem Scriptorum, ſeu Evangeliſtarum, tanqvam membrorum ſub tali capite & in tali corpore Evangeli zantium, Pſal. 68. 12. Eſ. 52, 7, Nahum 1. 15. Rom. 10. 15. Eph. 5. 30. qvi qvum Evangelium ſcripſerint, [Deo ſic volente, ut propterea etiam aliter fieri nec debuerit nec potuerit] non eisdem temporibus, aut in iisdem locis, neq; pariter congregati, neq. mutuô colloqventes, & tamen qvaſi uno ore, omnia pronunciant, fit hoc, ſine dubio, veritatis grande documentum: ut verbis utamur Chryſoſtomi Homiliâ 1. in Matth. editionis Commilinianæ 1618. pap. 3. D:

III.

Qvibus & hæc Irenæi, editionis Gallaſii 1570 pag. 186, Lib. Lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 11, addere placet. Qvoniam qvatuor ſunt regiones mundi in qvo ſumus, & qvatuor principales ſpiritus, & diſſeminata eſt Eccleſia ſuper omnem terram, columna autem & firmamentum Eccleſiæ eſt Evangelium, & Spiritus vitæ, conſeqvens eſt qvatuor habere eam Columnas, undiq; flantes incorruptibilitatem, & vivificantes homines. Qvò & illa faciunt, qvæ ejuſdem lib. cap. 1, pag. 169. habet idem: Non per alios diſpoſitionem noſtræ ſalutis cognovimus, qvam per eos, per qvos Evangelium perven[it] ad nos, qvod qvidem tunc præconiaverunt, poſtea vero per D[ei] voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.

IV.

Et hinc qvatuor hæc tantum Evangelia, duorum nempe è numero duodecim Apoſtolorum ipſius Domini, in honore hac ratione parium, primum Matthæi, & ultimum Johannis Math. 10. 2. 3. Marc. 3. 17. 18. Luc. 6. 14. 15; &, duorum Apoſtolicorum virorum honoratiſſimorum, qvaſi filiorum utroq; ab iſtis latere muni orum

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

rum, Marci ſc. Petri 1. Pet. 5. 13. & Lucæ Pauli 2. Cor. 8. 18. juxta ea qvæ ſunt de ipſo præterea ſingulariter Coloſſ. 4. 14. diſcipulorum, qvorum junctim mentionem facit Paulus 2 Tim. 4, 11. & ad Philem. v, 24. (qvos prius nonnulli volunt fuiſſe è numero Diſcipulorum qvi pedem retulerunt nec amplius cum Chriſto verſabantur Joh. cap. 6, 66, alii verò è numero 70. Diſcipulorum deſignatorum Luc. 10. 1.) tanqvam qvatuôr autorum Evangelicæ ſcripturæ, ut dicuntur Auguſt. de Conſenſu Evangeliſtarum Lib. 4, Cap. 8. editionis Antverpi 1576. Tom. 4. pag. 226. C: qvi & eos, inter alia myſteria Divina, per figuras qvatuor animalium in viſione Ezechielis, Prophetiæ ejus cap. 1. v 5. ſeq. & Johannis Apoc, 4. v. 6. ſeq. præfiguratos, Sanctas Qvadrigas Domini vocat lib. 1. cap. 7, pag. 161, C: ſeu ſcriptorum, & ita *Secundum illos*, qvorum interim autor primarius eſt Spiritus Patris, qvi in illis tàm loqventibus qvàm ſcribentibus erat Math. 10. 20. 2. Tim. 3. 16. qviq; non modo rem tantum, verum etiam verba talia eis dictitavit, accomodando ſe tamen ſtylo & modo dicendi ſingulorum, rejectis omnibus aliis tàm ψευδεπιγράφοις, qvàm ἀνωνύμοις, pro Canonicis purior habuit Eccleſia perpetuò, nec plûres recepit, qvod non invenit plures divino ſcripſiſſe Spiritu, qvod ipſum eodem Spiritu autore factum credimus.

V.

Hæc enim ſola vera ſunt, qvia omnia in illis cœleſtem doctrinam redolent: manifeſtè in illis Divinæ ſapientiæ diſpenſatio elucet: in admirationem rapiunt magis rerum dignitate qvàm verborum lenociniis: Vividè afficiunt legentium animos: admirandâ harmoniâ cum ſcriptis Propheticis & cœteris Apoſtolicis conveniunt: &, ut alia omittamus, oſtendunt modum adipiſcendi æternam ſalutem; Reliqva vero omnia qvæ aliorum nomine circumferuntur vera non ſunt, non ſolum qvia illorum ſcriptores non tales erant, qvibus narrantibus credi oporteret, ſed etiam quia ſcriptis ſuis quædam fallaciter indiderunt, qvæ catholica atq; Apoſtolica regula fidei, & ſana doctrina condemnat: ut loqvitur de iis Auguſtinus Lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. pag. 160. D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

VI.

Sicut namq; in populo Judaico multi Prophetiam pollicebantur, ac qvidam erant Pſeudoprophetæ, è qvibus, vnus fuit Ananias filius Agat, alii vero Prophetæ, & erat gratia [Spiritus ſc. Sancti] in populo Judaico diſcernendi Spiritus, per qvam alii inter Prophetas recipiebantur, nonnulli qvaſi ab excellentiſſimis trapezitis reprobabantur; ita & nunc in N. T. multi conati ſunt ſcribere Evangelium, ſed non omnes recepti. Orig. Tom. 2, editionis Pariſienſis 1619 pag. 134.

VII.

Qvatuor autem hi Evangeliſtæ, qvi teſtes ſunt Domini, partim oculati & auriti ſimul, partim auriti tantum [non propter indigentiam claritatis Divinæ, ſed infirmitatis humanæ, proptereaq; plures, qvum infirmitas noſtra certius credat pluribus qvam uni] nec omnino diverſa dicunt, ne infirmum, nec omnino eadem, ne ſuperfluum; ſed aliqva ſingulariter narrant, aliqva concorditer, nulla vero diſcorditer, [niſi apparenter,] ut certum eſſet teſtimonium: qvorum ſcripta ita legenda ita æſtimanda ac ſi ipſius Chriſti eſſent, qvandoqvidem membra ejus id operata ſunt qvod dictante capite cognoverunt, dum qvicqvid ille de ſuis factis ac dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanqvam ſuis manibus imperavit, & qvidem non Philoſophis ac mundi ſapientibus, ſed ſimplicibus ſcriptoribus, ſanctis tamen & à Spiritu Sancto actis, 2, Pet. 1, 21. 2. Timoth. 3, 16.

VIII.

Qvotqvot igitur qvaternarium Evangeliſtarum numerum, ſolidum & qvadratum, [qvot etiam literarum eſt nomen Dei, tetragrammaton inde dictum יְהֹוָה] qvos Origines qvatuor fluminibus Paradiſi Gen. 2, 10, ſeq Hieronimus qvatuor annulis qvibus Archa fœderis, cuſtos tabularum Legis olim circumportata eſt. Exod 21, 12; Alii qvatuor extremitatibus in ſcala Jacobi, Gen. 28, 12, nonnulli qvatuor initiis lintei è cœlo demiſſi, & à Petro conſpecti. Act. 10, 1. ſeq. comparant, non amplectuntur; ſed eorum autoritatem vel directè impugnant, vel obliqvè in dubium vocant, contendentes Evangeliſtas, tanqvam homines, in multis erraſſe, ac ſtudioſè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

dioſè magiſtri ſui gloriam, confictis narrationibus ornaſſe, ab iis omnibus, nos fide cordis & confeſſione oris, tanqvam Hæreticis, ſejungimus, ſtatuentes omnia qvatuor Evangelia eſſe θεόπνευστα, proptereaq; Evangeliſtas, tanqvam φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου ſcribentes, in ipſo actu ſcribendi non fuiſſe ulli errori obnoxios, qvum decuerit omnem falſitatem ab iis abeſſe, non ſolum eam qvæ mentiendo, ſed etiam eam qvæ obliviſcendo promitur, ut loqvitur Auguſt. lib. 2, de Conſens. Evang. cap. 12, pag. 178. B. Videatur Impietas Photiniana D. Theodori Thumii, in Articulo de ſcriptura S. pag 112, ſeq.

IX.

Inter hæcce qvatuor Evangelia poſtremum qvidem eſt Johannis ordine, ratione ſcriptionis, primas tamen facile ſibi vendicat illud dignitate, qvam & rerum ſublimitas, & verborum majeſtas luculenter oſtendit.

X.

Scripſerunt enim ſua Evangelia, ſecundum Theophilactum, Commentario in 4, Evangeliſtas, editionis Parienſis 1631 pag. 2, D. Matthæus qvidem ſuis Judæis, ſive Hebræis, Græcè tamen potius qvam Hebraicè, tanqvam lingvâ omnium tunc temporis notiſſima, (qvæ etiam in univerſo Novo T. perinde ut Hebræa in Veteri, eſt unicè avthentica, fuitq; ita apud ſeculum prius, priſco Apoſtolorum tempore,) anno ab aſcenſione Domini 8: Marcus vero, alias integrè Johannes Marcus, Act. 12. 12. 25. & 15. 37. qvaſi Epitomator Matthæi, Latinis, idiomate Græco, poſt decem annos aſſumpti Chriſti. Lucas porro, qvi & Lucius videtur appellatus Paulo Rom. 16, 21, qvaſi Interpres Marci, Græci ſermonis inter Evangeliſtas eruditiſſimus, & comptior, Græcis præcipuè poſt 15 annos aſſumpti Chriſti. Qvibus tandem Johannes ſuccenturiatus aderat ad extremum, omnem veritatem iſtam, ne qvid deeſſet gratiæ, penitius qvoq; prodens, ac concludens, ex abditis & hactenus latentibus præterea, poſt 32 annum (vel 62 potius) ab aſcenſione Chriſti: qvanqvam alii aliter hæc ſcriptionis tempora ſupputent, in eo interim omnes convenientes, qvod ultimus fuerit Johannes.

XI Ad.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

XI.

Ad ſublimitatem autem hujus Evangelii reſpiciens Lutherus, appellavit iſtud Pulchrum Verum & principale Evangelium: non qvaſi reliqva tria nec pulchra, nec vera eſſent, uti per calumniam interpretatur Fevardenſius ad cap. 2, lib. 3, Irenæi; ſed qvia inter cœtera primas obtinet: Non ſecus ac Cyryllus Alexandrinus Tom. 4. pag. 8. dicit illud omnem ſuperare penitus admirationem, ſi notionum ſublimitatem, & mentis acumen, & jugem aliarumq; aliis ſuccedentium ſententiarum illationem reſpexerimus, proptereaq; præſtantiſſimum eſſe; vnde tamen nemo inferre poteſt cœtera ſuâ carere præſtantiâ.

XII.

Cœteri namq; tres Evangeliſtæ, tanqvam cum Domino homine in terra ambulabant, (unde etiam terreſtribus animalibus aſſimilantur, ex viſionibus Ezechielis & Johannis, Matthæus ſc. Homini, qvod incipiat per Genealogiam ab humanitate Chriſti. Marcus Leoni, incipiens à rugitu qvaſi Johannis Baptiſtæ in deſerto; Lucas Bovi qvod initium ſui Evangelii ſumat ab oblatione Zachariæ) de Divinitate ejus pavca dixerunt. Johannem autem, qvaſi piguerit in terrâ ambulare, (ut propterea Aquilæ non immerito comparetur) erexit ſe non ſolum ſuper terram & ſuper omnem ambitum äeris & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemq; conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, & pervenit ad eum per qvem facta ſunt omnia dicendo: In principio erat verbum &c. Cui tantæ ſublimitati principii etiam cœtera congrua prædicavit, & de Domini Divinitate, qvomodo nullus alius eſt loqvutus, hoc ructabat qvod biberat. Auguſt. Tract. 36, in Johannem, Tom. 9, pag. 113, D. Qvi & ſcripſit Tract. 3 in Epiſt, Johannis pag. 243 D. reliqvos Evangeliſtas lac nobis (qvaſi pro infantia Eccleſiæ) præbuiſſe, Johannem verò ſolidum cibum (pro eâdem jam adultiore.)

XIII.

Huic Johanni duplicem obſervant Veteres, ex ſcopo ipſi propoſito, fuiſſe ſcriptionis ſui Evangelii cauſam, alteram Hæreticorum pullulantium ac negantium Divinitatem Meſſiæ, ejusq; propte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

propterea Perſonæ æternitatem, repreſſionem, Cerinthi vero inprimis, qvem Eccleſiæ vaſtatorem vocat Cyrillus Hieruſolymitanus Catecheſi 6. editionis Pariſienſis 1631. pag. 54, B. & Ebionis, hoc eſt, mentis & intelligentiæ inopis, Interprete Euſebio, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 3, cap. 25. qvos, ut ejusdem impietatis Profeſſores, in balneo, ſive ex condicto, ſive præter ſpem ſimul commorantes, Epheſi fugit Johannes, metuens ne balneum concideret: id qvod de Cerintho commemorat Irenæus, lib. 3, cap. 3, pag. 171. de Ebione vero Epiphanius Hæreſi 30, editionis Pariſ. 1622, Tom. 1. pag. 148, 149. Alteram vero eorum qvæ à cœteris Evangeliſtis prætermiſſa adjectionem; Nullo vero modo priorum Evangeliorum (qvod nonnulli fingunt) correctionem. Qvum enim eodem Spiritu loqvuti ſint & ſcripſerint Evangeliſtæ, impoſſibile fuit eos dicere aut ſcribere falſum, ideoq; eorum Evangeliis fuit aliqvid addendum, qvò aliæ traditiones humanæ annihilarentur, qva etiam, inter alia, occaſione Lucas ſuum ſcripſiſſe Evangelium ſtatuitur, ſed nihil in iis corrigendum.

XIV.

De priore cavſâ ita loqvitur Irenæus, Pater Græcus antiqviſſimus lib. 3, adverſus Hæreſes cap. 11, pag. 184. Unus & idem Deus & Pater eſt qvi à Prophetis qvidem annunciatus, ab Evangelio vero traditus, qvem Chriſtiani colimus & diligimus & toto corde factorem cœli & terræ credimus, & omnium qvæ in iis ſunt. Hanc fidem annuncians Johannes Domini Diſcipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre eum qvi à Cerintho inſeminatus erat hominibus errorem, & multo prius ab his qvi dicuntur Nicolaitæ, qvi ſunt vulſio ejus, qvæ falſo cognominatur ſcientia, ut confunderet eos & ſvaderet eos, qvoniam unus Deus qvi omnia fecit per verbum ſuum &c. Et Hieronymus in Prologo Matthæi Tom. 6. Operum, editionis Pariſienſis 1623. Qvum Johannes erat in Aſia & jam tunc Hæreticorum ſemina pullularent Cerinthi, Ebionis & cœterorum, qvi negant Chriſtum in carne veniſſe, coactus eſt ab omnibus penè tum Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altiùs ſcribere, & ad ipſum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ut ita dicam, Dei Verbum, non tam audaci qvàm felici temeritate prorumpere.

XV.

Epiphanius autem Hæres.51, pag.423: hanc occaſionem hiſce expreſſit verbis: Iisdem illis in locis, in qvibus nudum hominem, ex utriusq́, ſexus conjunctione, factum eſſe Chriſtum Ebion & Cerinthus, cum ſuis, aſſerere auſi ſunt, hoc eſt in Aſiâ, ibidem Spiritus S. illum (Johannem) velut herbam ſanctiſſimam aut fruticem in orbem extulit, qvo & ſerpens abigeretur, & tyrannicus Diaboli dominatus everteretur, illic ſiqvidem B. Johannes, affectâ jam ætate, prædicare Sancti Spiritus hortatu jubetur, & errantes à via revocare, non ut vi & neceſſitate cogeret, ſed ut ſpontè ac volentes induceret, iisdemq́; poſtea Divinum cœleſtis doctrinæ lumen impertiretur. Et pag. 433, 434. Spiritus Sanctus Johannem, invitum licet ac religione qvâdam ex animi moderatione defugientem, ad ſcribendum Evangelium impulit, affectâ jam ætate, utpote qvi jam 90. annos exceſſerat, poſtqvam à Pathmo inſulâ reverſus eſt, qvod qvidem Clavdio Imperante contigit; & nonnullis interjectis: Qvid erratis? qvò vos convertitis? qvos anfractus qværitis, tu Cerinthe tu Marcio vosq́; cœteri? Non ita ſe res habet ut creditis, Chriſtus qvidem ſecundum carnem natus eſt, neq́; hoc obſcurum eſt, ultrò id confiteor, Verbum caro factum eſt: verum ne ab eo ſolum tempore, qvo caro factum eſt, idem fuiſſe putatote.

XVI.

Ut nihil heic dicamus de Chryſoſtomo qvi Homiliâ 3 vel 4. ſecundum Græcum codicem, in Johan. pag 25 ſtatuere videtur, Johannem hoc ſuum ſcripſiſſe Evangelium non neceſſitate ortæ jam Hæreſis, ſed divinatione aut metu aliqvando orituræ, qvalis poſtea fuit Pauli Samoſateni, ut haberent Catholici, qvô eam cum naſceretur refutarent: Sicut nec de Alphonſo Salmerone qvi Tom. 2, in N. T. pag. 1. latius hanc cavſam extendens, ſtatuit donatum fuiſſe Johanni, Mediatoris familiari & dilecto diſcipulo, deſcribere rationem & baſin reconciliationis & mediationis in Deitate Verbi conſiſtentem, tum ut occurreret ſui temporis Hæreſibus, Ebionis Cerenthi & Merinthi, tum ut præterito Judæorum errori qvi Chri-

ſtum

ſtum hominem tantum eſſe putabant Joh. 10, repugnaret; tum deniq; ut futuris Arii & Sabellii perverſis & pernicioſis dogmatibus contradiceret, & Allogianos, ſtultos & brutos homines Verbo carentes, & ſine ulla cauſa aut ratione Evangelium Johannis ſcriptum non recipientes, primâ ſententiâ confutaret atq; jugularet.

XVII.

Poſteriorem autem cauſam annotavit Euſebius lib. 3; Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 18, in hæc prorumpens verba: Johannem tradunt usq; ad ultimum penè ſuæ vitæ tempus, abſq; ullius ſcripturæ indiciis, Evangelium prædicaſſe, ſed qvum trium Evangeliorum notitia etiam ad ipſum perveniſſet, probaſſe qvidem dicitur fidem & veritatem dictorum, deeſſe tamen vidit aliqva, & ea maximè, qvæ primo prædicationis ſuæ tempore Dominus geſſerat &c. Non, inqvit, ergò immeritò Servatoris noſtri ſtirpis ſecundum carnem genealogiam, utpote à Matthæo & Luca accuratè conſcriptam ſilentio prætermiſit, & ab ejus divinitate cœpit exordium, perinde acſi illa fuiſſent ſibi, tanqvam multò acutius illa intuenti, à Spiritu S. ad ſcribendum reſervata.

XVIII.

A primâ occaſione, tali ſc. Theologiâ, ſeu Divinitatis Chriſti defenſione, cognominatus eſt Johannes, à Græcis nonnullis Patribus & aliis, Theologus, qvo honorario etiam titulo in inſcriptione Apocalypſeos ſuæ venit, qvod cognomen ipſe ſolus ex Apoſtolis, & ex Patribus unus Nazianzenus eſt conſeqvutus, qvia uterq; pro Divinitate Filii, licet contra diverſos Hæreticos, pugnavit: Sicut ad ſecundam cauſam reſpicientes Arabes vocarunt eum Conſummatorem Evangelii, qvod non tantum tria illa ſcripta Evangelia approbarit unicè, ſed & qvartum adjunxerit, inprimis ob doctrinam adeò tunc neceſſariam de ipſâ τοῦ Λόγου Deitate, ac acta Dominī anno 1. officii in Judæa, alias minus palam facta; præter ea qvibus interfuerat cum aliis, in Cœnâ & poſt eam, memor maximè tantarum rerum, per Spiritum tanti Magiſtri; & iſta qvæ contigerunt, qvando poſt ſolus fermè adfuit cum Petro ad mortem capto Domino: qvi à reſurrectione ipſum qvoq; reſpexit præ cæteris fami-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ſiariter; Si qvid vero ex dictis ab aliis Evangeliſtis repetit, id facit præcipuè ut qvaſdam circumſtantias ab iis prætermiſſas ſuppleat.

XIX.

Atq́, ita ſunt à dilecto Johanne, Sole illo Evangelii, ac præcipuo Divinorum Secretorum Interprete, proptereaq́, inter qvatuor Evangeliſtas eminentiſſimo, ceu altero Eſdra, Paralipomena Evangelica, pro memoria & renovatione veræ Theologiæ, nobis in Eccleſia Domini, ſeu Novi Teſtamenti: ut inde qvaſi Canon Catholicus, pro integra prorſus harmonia concinnanda ex ſingulis, ad conciliationem omnium qvaſi membrorum corporis Evangelici, hoc ultimum Evangelium literis conſignatum divinitus haberi meritò debeat.

XX.

Abſolvitur vero Divinum hocce Evangelium, præmiſſo Titulo, ſeu inſcriptione, duabus partibus: Qvarum prima continet προοίμιον ſeu προπαρασκευὴν hiſtoricam, de Perſona Jeſu Chriſti, cum illis qvæ præcedunt acta publica officii talis Meſſiæ cap 1. Altera vero τὰ πράγματα Jeſu Chriſti Domini noſtri, in officio inter Jſraelitas publico pertractat, & qvidem in Statu ſuo utroq́; tum ἐλαττώσεως, imminutionis ſeu diminutionis, tum βελτιώσεως ſeu provectionis in melius.

XXI.

In ſtatu ἐλαττώσεως erat Meſſias κατὰ κένωσιν Propheta, & κατὰ ταπείνωσιν Sacerdos: & hinc de Prophetico ejus officio agit Evangeliſta, tum ut inchoato, per acta Anni primi cap. 2.3.4. ad verſum 43. & ſecundi Anni, inde & capite qvinto; tum completo per geſta Anni tertii cap. 6.7.8. Sacerdotalis autem officii, per Anni qvarti acta conſiderat, tum Præparatoria Sacrificii ad oblationem, eaq́; vel Remotiora Agni jam præparati cap. 9.10. & 11. ad v. 47; vel Propinqviora, deliberatis ſc. inſidiis ad traditionem, inde & cap. 12. ad v. 20. & ſic eô etiam jam vendito & q: tradito &c. inde & cap. 13.14. 15.16.17. tum Exeqvutoria, ipſo captivo & tradito, ac in cruce mortuo tandemq́; ſepulto, c. 18. & 19.

XXII.

In ſtatu tandem βελτιώσεως, στεφανώσεως, καὶ ὑπερυψώσεως

de-

declaratus eſt Chriſtus Victor, Rex & Triumphator glorioſiſſimè, per deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, & à reſurrectione: de qvo ejus officio agit Evangeliſta cap. 20. & 21 : cum concluſione priorum omnium de tali Domino noſtro, pro ſcopo principali, imo unico, illorum, in fine utriusq; capitis compendioſiſſima.

XXIII.

Ex hoc diviniſſimo Divini Johannis Evangelio conſtituimus, Divinâ adjuti gratiâ, pro Diſputationibus, inprimis ordinariis, diſſertationes nonnullas Theologicas, de ſelectis qvibuſdam Tmematibus, proponere. Id verò ut ordine fiat, ordiamur ab ipſo Proœmio hujus Evangelii, qvod omnibus verè Chriſtianis & religioſis hominibus ſummè ſalutiferum, omniq; cum veneratione acceptandum, ac cordibus illorum potius inſcribendum ſalutariter, qvàm chartæ inſcriptum collis alligandum ſuperſtitioſè: Hæreticis, autem formidabile & terribile: Philoſophis verò & Paganis, qvibus illud videre licuit, admirandum & ſtupendum eſt; Qvicqvid tandem Enjedino, qvi, in Explicationibus locorum, illud immeritò & blaſphemè accuſando Perplexitatis, Obſcuritatis, & *Ἀνιστορησίας*, genuinumq; ſenſum impiè pervertendo, haut parum eidem detrahit, ſicut ea fuſè pertractat D. Theodorus Thummius lib. citato à pag. 72. ad 83. & ante illum D. Balthaſar Meiſnerus, Theologus qvondã Wittebergenſis celeberrimus, in Logologia ſua ſacra, cap. 2. à Theſ. 20. ad 32. cum ſuis ſociis Photinianis, Fauſto Socino inprimis ipſi infauſtiſſimo, in Explicatione primæ partis primi capitis Johannis, edita Racoviæ in octavo 1618. & prius in Reſponſione ad libellum Jacobi Wuiecki abſq; autoris nomine edita ibidem Polonicè primum & deinde Latinè 1595. & pòſt cum Avtoris nomine 1624. à pag. 299. ad pag. 332. Et Valentino Smalcio in Refutatione qvarti loci cap. 26. novorum Monſtrorum Novi Arianiſmi Martini Smiglecii à pag. 229. ad 240. edita Racoviæ in qvarto, 1613. ſicut & in Refutatione libelli ejusdem, cui titulus, Verbum caro factum, edita ibidem anno proximè ſeqvente 1614. aliisq; cum illis Arianizantibus viſum fuerit.

XXIV.

Agit autem Johannes in ſublimi hoc Exordio à v. 1. ad 15. de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Λώγῳ. ut I. ab æterno in comparatione ad dicentem, v. 1. & 2. & II. in tempore in comparatione ad ea qvæ dicta ſunt conſiderato, verſibus ſeqventibus; unde etiam Λογολογίαν hanc noſtram ſacram, ſic dictam ab eodem Λώγῳ, totidem Diſputationibus expeditam dabimus, priori hac de Λώγῳ ab æterno, poſteriori vero de eodem in tempore conſiderato, ipſo Λώγῳ, nos illuminante, ac in omnem veritatem ducente, acturi breviſſimè & ſimpliciſſimè.

XXV.

Johannes igitur Evangeliſta, deſcripturus hiſtoriam Jeſu Chriſti Domini noſtri, qvi Deus ſimul & homo eſt in una ὑποςάσει Divina, ratione hiſtoriæ id poſtulante, altè, & à prima origine ſumpto exordio, prius Divinæ & deinde humanæ naturæ originem declarat. Nec poterat certè Johannes ſcripturus, ut modò ex antiqviſſimis Patribus & hiſtoria Eccleſiaſtica vidimus, contra Cerinthum & Ebionem &c, qvi Divinitatem Chriſto detrahentes, ante Mariam negabant illum extitiſſe, aliundè commodius incipere, qvàm ab hoc principio, qvo, acu ſtatim rem tangens, primò Adverſarios, qvos proprio nomine appellare non dignatus eſt, verbo jugulat.

XXVI.

Qvin & Johannes hoc modo incipere voluit, ut oſtenderet convenientiam Veteris & Novi Teſtamenti, qvod ſint ab eodem autore, qvum ſimile ſit principium hujus Evangelii, qvod ultimum eſſe ſcriptum Biblicum ſtatuitur communiter, principiô totius ſacroſanctæ Scripturæ, & primi libri Biblici Geneſeos. Qvemadmodum enim Moſes Gen. 1. 1. à principio incipit, ſic & Joh. v. 1. Moſes verbo Dei rerum hanc univerſitatem creatam narrat v. 3. 6. 9. 14. 20, 24. idem & facit Johannes v. 3. Moſes facit mentionem lucis & tenebrarum v. 4. 5. ſimiliter & Johannes v. 4. 5.

XXVII.

Utut autem ab eàdem voce Johannes Moſesq; initium fecerunt, longiſſimo tamen inter ſe diſtant intervallo. Qvum Moſes ab iis cœperit qvæ cœperunt: ab iis initium duxerit qvæ habent initium: ab illis, exorſus ſit qvæ è nihilo Divina potentia prodierunt Johannes verò ab eo cœpit, qvi nunqvam cœpit: ab eo ſumpſit prin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

principium, qvi temporis caret principio: ab eo inchoavit qvi è nihilo orbem perfecit. Moſes à creaturæ γενέσει cœpit, Johannes à Creatore genito: Ille à rebus corporeis & ſub ſenſum cadentibus; hic ab illo qvi ſenſum & intellectum ſuperat in infinitum, Λόγῳ ſc. conſiderato ab æterno.

XXIIX.

De Λόγῳ ita ab æterno conſiderato, qvatuor ponit Evangeliſta Propoſitiones, qvarum prima eſt de Λόγȣ ſeu Filii æternitate: Secunda de diſtinctione talis Λόγȣ ſeu Filii à Deo ſuo Patre: Tertia de conſubſtantialitate ejuſdem Λόγȣ cum Deo: Et qvarta tandem de coæqvalitate & coæternitate Λόγȣ cum Deo Patre. Qvas Propoſitiones, per climacem q: ita proponit, ut ultimum verbum unius ſit principinm alterius Propoſitionis.

XXIX.

Atq; ita hoc ſublimi hujus divini Evangelii initio potenter docet, & fundat Johannes ſublimem illum Articulum ſanctæ Fidei noſtræ Chriſtianæ, qvà credimus & confitemur unum eſſe verum omnipotentem & æternum Deum, & in una tamen illa eſſentia Divina tres diſtinctas Perſonas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum &c. (qvanqvam ille heic non niſi implicitè nominet) juxta Lutherum Tom. 2. Iſleb. in cap. 1. Joh. fol. 394. Qvod eſt Sacramentum magnum, & qvidem venerandum non ſcrutandum, qvomodo pluralitas ſit in unitate, aut qvomodo ipſa unitas ſit in pluralitate; Qvod ſcrutari temeritas eſt, credere pietas, noſce verò vita æterna, juxta Bernhardum; ut propterea neceſſum ſit nos magni illius luminis iſto ſplendore, qvem exhibet verbum revelatum, de unitate qvidem Eſſentiæ Deut. 6. 4. & 32. 39. Pſal. 86. 10. Eſ. 44. 13. & 45. 5. 6. 7. 1. Cor. 8. 6. 1. Tim. 2. 5. 1. Johan. 5. 7. &c. De pluralitate vero & in ſpecie Trinitate Perſonali Gen. 1. 1. 26. Num. 6. 23. 24. 25. Pſal. 33. 6. Matth. 3. 16. 17. Marc 1. 10. 11. Luc. 3. 21. 22. Matth. 28. 19. 1. Joh. 5. 6. 7. &c. contentos eſſe donec in cœleſtem illam Scholam venerimus, in qvâ hanc arcanam ſapientiam perfectè cognoſcemus, viſuri Deum ſicuti eſt à facie ad faciem qvem heic tantum in ænigmate videmus 1. Cor. 13. 12.

XXX. Prima

XXX.

Prima Propoſitio hæc eſt, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, ſeu oratione reſoluta, ὁ λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ, in qva ſingula verba, tanqvam ſingula pondera, diligenter ſunt expendenda.

XXXI.

Per Λόγον igitur Johannem qvoad rem intelligere, non divinum, angelicum, aut humanum vocale ſeu evanidum aliqvod verbum, qvod prolatum in äere evaneſcat & in nihilum abeat, ſed hypoſtaticum verbum, Λόγον οὐσιωδέα καὶ ὑφεστῶτα, ſubſtantialem & per ſe ſubſiſtentem, & qvidem ſingulariter Filium Dei, ſecundam Trinitatis Perſonam, qvæ Meſſiæ eſt, non tantum heic qvater, verum & prius nempè 1. Epiſt. cap. 1. v. 1. & cap. 5. v. 7. ac primo omnium Apoc. 19. 13. ubi illud nomen Divinitus ipſi revelatum videtur, ex Articulo præpoſito, & toto contextu, inprimis v. 14. adeo eſt manifeſtum ut mirum ſit qvenqvam adeo ſtupidum eſſe qvi de eo dubitare velit. Qvod vero ea 1. Joh. 1. v. 1. & Apoc. 19. 13. tribuantur Λόγῳ qvæ ſunt humanæ naturæ propria, ejus rei cauſa eſt, qvod Perſona hæc Divina aſſumpſerit in ſuam hypoſtaſin, in plenitudine temporis, veram humanam naturam una cum proprietatibus humanis. Rom. 9. 5. 1. Tim. 3. 16. Heb. 2. 14. 1. Joh. 4. 3.

XXXII.

Hinc Hilarius Lib. 2. de Trinitate, editionis Baſil. 1570. pag. 18. Ceſſat, inqvit, ſonus vocis & cogitationis eloqvium: Verbum hoc, res eſt, non ſonus: Natura, non ſermo: Deus, non inanitas eſt: Et Fulgentius ſermone de duplici Nativitate Chriſti, editionis Baſil. 1621. in 8tav. pag. 781. Eſt hoc verbum, inqvit, non qvod deſinit prolatum, ſed qvod permanet natum: Non tranſitorium ſed æternum: Non factum à Deo Patre ſed genitum: nec ſolum genitum, ſed etiam unigenitum. Unde Ignatius in Epiſt: ad Magneſios ſcribit, à Johanne nominari Λόγον οὐ ῥητὸν ἀλλ' οὐσιώδη, non prolativum ſed ſubſtantialem, & addicit. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐναρθροῦ φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή: non enim eſt vox loqvutionis articulatæ, ſed ex operatione Deitatis Subſtantia genita: & Hilarius de Synodis contra Arianos pag. 230. citat exemplar Fidei Syrmio ab Orientalibus contra Phontinum conſcriptæ, ſic

de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

definiens: Si qvis inſitum (qvod per inſitam loqvendi naturam profertur) & prolatitium verbum Dei filium dicat, Anathema ſit: Videatur inſuper Damaſcenus de orthodoxâ fide Lib. 1. cap. 6. editiones Baſilienſis 1575. pag. 17. Baſilius Homilia ſuper Proemium Johan. editionis Baſilienſis 1618. Tom. I. pag. 585. Tertulianus adverſus Praxeam editionis Paris. 1616 pag. 841 Ambroſius lib. 4. de Fide ad Gratian:, cap. 3. Tom 4, editionis Colonienſis 1616. pag. 78. & lib. 1. de Fide cap. 5. pag. 56. 57.

XXXIII.

Videtur autem ſolus Johannes in Novo Teſt. præſignatis locis hoc vocabulo, & qvidem ex Divinâ ἀποκαλύψει, in ſenſu illo arcano uſus eſſe, qvicqvid aliis de locis nonnullis, qvæ eandem ſignificationem inferre videntur, viſum fuerit; Qvod tamen qvoad ſenſum in Veteri Teſt. occurrit, Gen. 1. ubi ſingulis operibus præmittitur: Dixit Deus, per qvod Dicere non tantum verbum aliqvod προφορικὸν & προστακτικὸν, ſed etiam ὑποστατικὸν qvod inerat & mandato robur addidit, intelligitur: unde 70. Interpretes qvi pro אָמַר εἶπε heic uſurpant, Pſalm 33. v. 6. דָּבָר per Λόγον vertunt; qvo & referri ſolent è qvibusdam loca 1. Sam. 3. 21. 2. Sam. 7. 20. 1. Par. 17, 19. 2. Sam. 23. 2. Eſ. 53. 11; ut nihil dicamus de Chaldaica Paraphraſi qvæ ſæpiſſime vocem יְהוָה & אֱלֹהִים reddit per מֵימַר ſeu verbum Domini, Gen. 24. 3 & 48. 21. Pſalm. 110. 1 Eſ. 8. 5. & 26. 4. & 45. 17. & 48. 13. Oſ. 1. 7, & paſſim alibi, ad innuendum ſermonem in textu fieri de filio Dei, Verbo ſc. promiſſo, ſeu illo de qvo ſunt voces & ſermones Prophetarum: utut hoc non obſervarit Syrus Jnterpres Novi Teſt. qvi heic non habet Briſckith mimar ſed Briſckit melletho.

XXXIV.

Hinc beatus Lutherus, in Poſtilla Eccleſiaſticâ ad præſens Evangelium, ſtatuit Johannem hanc vocem à Moſe mutuatum eſſe, qvum non ſit verbum in Novo Teſt. qvod non retro in Vetus, ubi ante prædictum eſt, reſpiciat, Novúmq; Teſt. nihil aliud ſit qvam Veteris reſeratio & revelatio. Et in Comment: ſuper Geneſin edition: Noriberg 1555. fol. 5. Qvemadmodum ſupra probavimus ex textu pluralitatem Perſonarum, ita heic manifeſta eſt diſtinctio

Perſonarum, Dicit enim Deum eſſe, ut ſic loqvar, dictorem, qvi creat & tamen non utitur materiâ, ſed ſolo verbo, qvod profert, ex nihilo facit cœlum & terram. Iam huc adhibe Exangelium Johannis, In principio erat Verbum (nam probè facit cum Moſe) dicit, ante mundum conditum nihil erat creaturarum, Deus tamen habebat Verbum. Hoc Verbum qvid eſt, aut qvid facit? Audi Moſen. Lux, inqvit, nondum erat, ſed tenebræ ex ſuo nihili eſſe, vertuntur in illam præſtantiſſimam creaturam, qvæ eſt lux: Per qvid? per Verbum; Ergo in principio & ante omnem creaturam eſt Verbum & eſt tàm potens Verbum, qvam qvod ex nihilo facit omnia. Hinc ſeqvitur irrefragabiliter, qvod Johannes diſertè addit, hoc Verbum eſſe Deum & tamen eſſe diſtinctam Perſonam à Deo Patre, ſicut diſtinctæ res ſunt, verbum & is qvi verbum profert. Et tamen hæc diſtinctio ejuſmodi eſt, ut uniſſima (ut ſic dicam) unitas eſſentiæ maneat. Hæc ſunt ardua, neq, tutum eſt ultra progredi, qvam Spiritus Sanctus nos ducit. Hactenus Lutherus.

XXXV.

Qvanqvam vero inficiari non poſſimus Mercurium Triſmegiſtum, & ex illo, ut videtur, Platonem ac poſt Zenonem & Heraclitum, ſicut & Orpheum antiqviſſimum Poëtam & Philonem, uſos fuiſſe voce Λόγȣ in diviniore aliqvâ ſignificatione, longè tamen aliud intellexerunt illi per λόγον, qvam Johannes, nempè Ideam in mente Dei conceptam & æternum ejus de mundo conſilium. Si vero agnoverunt illi, ut Patribus nonnullis placet, æternum λόγον, tanqvam Dei Filium & Patri ὁμοούσιον, tum id minimè habuerunt ex luminè naturæ, ſed vel ex peculiari revelatione Dei, vel ex Hebræorum traditione, vel ex Sybillinis inſtitutis (ſi illis aliàs aliqvid tribuendum) vel ex Dæmonum, qvibus hoc myſterium ex ſcripturis notum, qvadam ſuggeſtione: præterqvam qvod nullum ſit dubium multos de Λόγῳ multa dixiſſe, ex Hebræorum ſcriptis, qvæ tamen ipſi non intellexerunt. Et licet nonnihil ſubobſcurè intellexerint; fidem tamen vel nullam vel planè languidam & meris cum dubitationibus permixtam adhibuerunt.

XXXVI.

Vox autem Λόγȣ, à λέλογα deſumpta, gravida eſt ſenſibus, nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

nam, ut ſcribit Hieronymus ad Paul., multa ſignificat, dum & verbum eſt & Ratio & ſupputatio, & cauſa uniuscujusq; rei, per qvam ſunt ſingula qvæ ſubſiſtunt. Qvibus ſignificatis addi poteſt ſermo, Menſura, Definitio, Liber, oratio, oraculum, conſilium &c. Qvæ omnia & ſingula nomina licet aliqvo modo convenire ſecundæ Perſonæ Trinitatis & Filio Dei poſſint; commodiſſimè tamen videtur hæc vox, cum Patribus qvamplurimis, & recepto in Eccleſia loqvendi uſu, Latinè Per VERBUM reddi: niſi fortè magis conſultum fuerit, retinere in omnibus Linguis vocem Λόγȣ, tanqvam ἐμφατικωτάτην, perinde ut retinemus Immanuel, Jeſus, Chriſtus.

XXXVII.

Interpretatio enim voci Λόγȣ per Rationem, mentem & ſapientiam (ut de reliqvis ſignificatis, qvæ neq; Verbi naturam, neq; diſtinctionem Perſonarum indicant, ſicut nec de violento Hebraiſmo illo, qvô nonnulli, ſine omni relatione & diſtinctione Perſonali, putant Λόγον pro re, facto, ſeu Deitate ſumi, nihil dicamus) caret relatione ad creaturas, in reſpectu ad officium docendi, ob qvam etiam filius vocatur Λόγος: Sermo verò contra ſeu eloqvutio, notans orationem integram multis rebus ac vocibus conſtantem, ſeu compoſitionē à pluribus ſimul contextam dictionibus, ac vi vocis aliqvid foris ſeminatum & jactatum, caret relatione ad creatorem, ac ita excludit reſpectum illum internum & primarium qvo Λόγος diſtingvitur à Spiritu Sancto; qvicqvid tandem noſtræ ætatis novatoribus videatur, qvi malunt ſermonem vertere, qvia Græcè non ῥῆμα ſed λόγος ſit. qvaſi non paſſim confunderentur hæ voces in Novo Teſt. & qvidem nominatim Matth, 26.25. 1. Cor. 14. 18. præterqvam qvod Hæretici, qvi per ſermonem vertunt, torqveant hoc nomen in illum ſenſum, qvod Johannes heic ſolum loqvatur de doctrina & patefactione, non vero de Deitate Chriſti, nullumq; ſublimius myſterium heic indicari contendant.

XXXVIII.

Verbum autem in ſe propriè unum, & rem unam veram & ſimplicem notans, utrumq; reſpectum primarium, ratione cujus Filius nuncupatur Λόγος, includit, utpote qvæ vox latè ſe extendit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ad verbum tàm ἐνδιάθετον internum ſeu mentale, qvam προφορικὸν externum ſeu vocale.

XXXXIX.

Atq; ita exprimitur voce τȣ̃ Λόγȣ, heic loci qvidem præcipuè, pro ſcopo Evangeliſtæ, reſpectus internus, concernens ipſum Filium Dei, ac perſonam æternamq; generationem ejus manifeſtans, ὑπόστασιν, ſc. ſecundum qvam eſt ille verbum æternum, ratio & ſapientia æterni Patris Proverb. 8. 12. ſine πάθῃ & paſſione ſeu corruptione à Patre ab æterno genitum Pſalm. 2. 7. cum qvo & in qvo tamen tanqvam intimus ipſi nunqvam non permanet, Joh. 1. 18. & 10. 38. exiſtens per eſſentiam Spiritus Rom. 1. 4. 1. Cor. 15. 45. 1. Tim. 3. 16. 1. Pet. 3. 18. ac imago Paternæ gloriæ & ὑποστάσεως 2. Cor. 4. 4. Coloſſ. 5. 15. Ebr. 1. 3. ut in ipſo tota Divinitas ſit Col. 2. 9. qviq; hoc Verbum habeat, habeat & totam Trinitatem Joh. 14. 23. qvod eſt principiũ operandi in mente Patris, per operationes & humanitatem hominibus demonſtratum Joh 1. 3. & 14. Qvod potuit eſſe & exiſtere, nulla exiſtente creatura, cum contra creatura nulla exiſtat niſi per ipſum Joh. 1. 3. à Patre ut Perſona diſtinctum.

XL.

Neq; vero ſolum Perſona Filii Dei, & internus ille reſpectus voce Verbi exprimitur, verũ etiam conſeqventer reſpectus externus, concernens nos homines inprimis, & totum ὑφιστάμενον Meſſiæ, ejusq; officium Propheticum, ſecundum qvod eſt verbum externum ſeu Interpres voluntatis Dei, per qvem & in qvo ſe ſuamq; voluntatem & animum ſecretiſſimum revelavit nobis Pater, qvi is eſt, ut habeamus vitam æternam, eâ ratione qvæ in Evangelio Chriſti nobis præſcripta eſt Joh. 1. 18. Ebr. 1. 1. & á qvo omnis noſtra inſtitutio rectè vocatur ſapientia. Luc. 21 15. 1. Cor. 2. 6. Eph. 1. 8. Col. 1. 9. Jacob 3. 17. &c. Qvod Verbum Divinum ſeu Filius, potius qvam Pater vel Spiritus Sanctus, meritò incarnatum eſt, ut Deum nobis patefaceret, cui nos diligenter attendere jubemur Matth. 17. 5.

XLI.

Et ſic eſt nomen Λόγȣ, Filio Dei tributum, non tantum nomen officii qvod volunt Sociniani, ſed etiam, & qvidem principaliter, Naturæ & Perſonæ, diverſo reſpectu; Perſonæ qvidem qvia e-

rat

rat apud Deum, Naturæ vero qvia idem ille λόγ☉ erat Deus. Qvanqvam enim nomen officii formaliter conſideratum qvatenus eſt nomen officii, non poſſit eſſe nomen naturæ & perſonæ, de eodem tamen finaliter conſiderato idem negari non poteſt. Sicut enim unius rei fines poſſunt eſſe plures iiq; ſubordinati, ita etiam idem in uno nomine alicui impoſito locum habere poteſt, ſi fuerint illa, qvæ illo nomine exprimuntur, non contradictoria, in qvibus altera pars tantum vera eſt, ita ut una poſita neceſſe ſit tolli alteram, ſed ſubordinata, qvalia ſunt iſta, Chriſtus dicitur λόγ☉ à natura ſua Divina, qvæ Patri coeſſentialis eſt, in qva integre latet ſapientia, bonitas cœteraqve attributa divina Patris, & ab officio Prophetico: qvæ membra orationis talis copulativæ ſibi mutuo non contradicunt.

XLII.

Ex hiſce igitur reſpectibus cauſam deducit Theophilactus in Johanné pag. 555. qvare Johannes potius uſus ſit heic loci voce λόγȣ qvàm filii, in hæc ſolutus verba: Qvare non dixit in principio erat Filius ſed Verbum? Audi, inqvit, propter Auditorum infirmitatem; Ne audito ſtatim ab initio Filii nomine cogitaremus nativitatem corporalem & ab affectionibus proficiſcentem; Et ejus gratia ipſum vocavit Verbum qvo diſcas, qvod ſicut verbum gignitur ex mente ſine paſſione: ita & hic à Patre natus eſt abſq; ulla affectione. Vel aliter, pergit, ideò Verbum appellavit qvia Patrem nobis annunciavit, qvemadmodum omne verbum mentis notitiam annunciat.

XLIII.

Utut autem hoc Verbum Divinum præſignatis modis cum noſtro verbo conveniat, diſſimilitudines tamen non paucæ inter utrumq; occurrunt qvum impoſſibile ſit naturalia & interitura, Divinis & æternis ad ungvem accommodari; Unde Auguſtinus Serm. 190. de Temp. Deus, inqvit, cum æſtimatur non poteſt æſtimari, cum comparatur non poteſt comparari. Noſtrum enim verbum, initium temporis & mentem tempore priorem, à qvâ naturâ differt, agnoſcens, non filius noſter ſubſtantialis, vivens, procedens à vivente per actionem vitalem: ſed accidens eſt & tranſiens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ſiens, & multiplicabile, & ſæpè in potentiâ non in actu, & intelligibile non intelligens, & audibile, non verò viſibile: Divinum verò hoc Verbum, omni principio carens, Filius eſt coæternus Patri, ac propterea ſubſtantiale, & totam Patris Eſſentiam poſſidens: permanens eſt non temporale, unicum non multiplex, in actu ſemper eſt, nunqvam in potentia, non ſolum intelligibile eſt ſed maxime intelligens, non ſolum audibile verum etiam, per incarnationem, viſibile.

XLIV.

Et de hac differentiâ ſic loqvitur Lutherus, in Poſtill. Eccleſiaſt: Hoc inter humanum & Divinum verbum eſt diſcrimen, qvod humanum in ſe non habeat cordis ſubſtantiam, ſed tantum ſignificet, ſicut imago aurea aut lignea non fert ſecum, aut in ſe habet ſubſtantiam hominis, ſed duntaxat ſignificat eam: At in Deo Verbum non tantum ſignum eſt aut imago, ſed & fert ſecum & in ſe habet totam naturam Dei, eſtq́; verus Deus, æqvè atq́; is cujus Verbum & imago exiſtit. Qvare hoc Verbum ſine ſimili eſt, neq́; in creaturis eſt qvod ipſi qveat conferri.

XLV.

Hic Λόγος dicit Evangeliſta, ἦν, erat per Præteritum imperfectum Verbi Subſtantivi, tanqvam divinæ ſubſtantiæ & exiſtentiæ, maxime convenientis Exod. 3. v. 14. Qvum enim nulla temporis differentia æternæ Filii generationi, qvi ſine tempore ante omnia tempora erat, nato ſc. eodem æterno coæterno, qvod myſterium eſt rationi incomprehenſibile, conveniat, apud qvam æternam & Divinam naturam, neq́; præteritum qvicqvam, neq́; futurum eſt, ſed cui omnia ſunt præſentiſſima, Præſens verò noſtrum qvod non permanet, ſed in fluxu qvodam & tranſitu conſiſtit, non propriè repræſentet præſens illud æternitatis & ſtabile, aptè dicit Evangeliſta ERAT, qvod aliqvid Præteriti Perfecti & Præſentis & Futuri involvit, ut ſimul rei perſeverantiam ſeu permanentiam in duratione, & exiſtentiam, ſignificet.

XLVI.

Non dicit: Verbum factum eſt, qvum alium ſubſtantiæ ſuæ ortum habeat, qvam fieri aut incipere: Nec dicit, fuit, cùm hoc ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

creaturas pertinens, ſignificet & eſſe cœpiſſe, & rem, qvæ fuiſſe dicitur, eſſe deſiiſſe: ſed dicit, Verbum erat, ut ſimul Verbi & ſubſtantiam ſignificet, & æternitatem exprimat. Non enim inhærebat ut Accidens, ſed erat, ut ſubſtantiale & ſubſiſtens Verbum, propriam & à Patre diſtinctam perſonam poſſidens: Significatq; erat, rem fuiſſe non tamen adhuc eſſe deſiiſſe; ſed jam jam eſſe, qvum contra futurum, rem non adhuc eſſe, ſed fore; præteritum, rem fuiſſe ſed deſiiſſe ſignificet.

XLVII.

Hanc enim eſſe hujus vocis hoc in loco vim (qvam qvater inculcat & repetit Evangeliſta, obſervante Bedâ, ut monſtret omnia tempora prævenìſſe coæternum Patris Verbum. Unde Ambroſius: Erat, inqvit, erat, erat, erat; ubi invenit impius Hæreticus non erat? Verbum ab æterno erat, Hæreticus qvi Verbum unqvam non fuiſſe blaſphemat, errat, errat, errat, errat) vel hinc manifeſtum evadit, qvod non dicat Evangeliſta ſimpliciter: Verbum erat, ſed Verbum erat in principio. Ut ſignificetur, æternum illud eſſe à parte tam anteriore, qvam poſteriore. Qvod enim erat in principio temporis, atq; ita ante omnes alias res, certè ante principium erat, & æternum eſt. Qvod enim æternum eſt, principio caret. Et qvod à parte anteriore æternum eſt, illud non poteſt non etiam à poſteriore æternum eſſe; Ut ita Λόγος noſter ſit genitus non factus, Factor & Creator non autem creatus.

XLVIII.

Per Principium igitur heic intelligimus, non Patrem, qvi eſt principium ſinè principio, & ex qvo principio in reſpectu perſonali eſt Filius, qvaſi ſenſus eſſet, in Patre erat Verbum; Qvem ſenſum Origenes & Cyrillus ſuper Johannem; cum Auguſtino Lib. 6. de Trinitate & aliis attingunt: Qvum hæc interpretatio ταυτολογίαν in Propoſitione proximè ſeqvente & v. 2, alienam è mente Johannis importans, non clarè exprimat Verbi æternitatem; præterqvam qvod ex modo loqvendi Evangeliſtæ inſinuetur Verbum præceſſiſſe principium, qvia in principio jam erat, qvod de Filio ratione Patris dici non poteſt. Nec cum Origene hunc locum in Principio erat Verbum, violenter in hunc ſenſum exponimus: Verbum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

erat creaturarum omnium principium: qvia facilius fuiſſet Evangeliſtæ dicere, ſi hoc aſſerere intendiſſet, Principium erat Verbum: Nec ſtatuimus, cum Photinianis, Johannem heic intelligere illud principium de qvo loqvitur cap. 6. 64. & 8.25 & 15.27. & 16. v. 4. 1. Joh. 2. 7. & 3. 11. & Luc. 1. 2. &c. Principium ſc. prædicati Evangelii, qvum loca illa allegata & ſimilia ſint prorſus diſſimilia, cum hoc noſtro collata, utpote qvæ certã temporis determinationem adjunctam habent, ſecus qvam heic fit, ubi non σχετικῶς ſed ἁπλῶς loqvitur Evangeliſta: alias enim nihil ſingulare heic diceretur de Λόγῳ, qvæ tamen Johannis fuit intentio, myſterium ſc. aliqvod revelare, ac Cerinthi Hæreſin refutare: ut taceamus neminẽ verba Evangeliſtæ legentem de ſenſu iſto ulla ratione cogitare poſſe: nihilq́; dicamus de cœco illo Græculo Philoſopho Amelio, qvi apud Theodoretum ita introducitur loqvens: Barbarus ille homo (Johannem intellegit) cenſet in principii loco & dignitate Verbum apud Deum conſtitutum: Ubi ſumit ille vocabulum ἀρχῆς non pro principio ſed principatu; ſed illud principium heic inſinuari exiſtimamus qvod Moſes deſcripſit, principium ſc. durationis omnium rerum conditarum, in qvo Deus creavit cœlum & terram, cum tempus ipſum eſſe inciperet una cum rebus, & res una cum tempore: id qvod Syrus etiam confirmat, dum heic eâdem voce cum Moſe utitur.

XLIX.

In tali ergo principio, vel ante tale principium Eph. 1. 4. 2. Timoth. 1. 9. ſeu à tali principio, ut ipſe Johan. ſe explicat 1. Epiſt. cap. 1. v. 1. (qvæ phraſes ſunt æqvipollentes Luthero, qvum unum ſeqvatur ex altero) erat Λόγος propterea q́; non incepit. Nam ſi qvod in principio fuit, non etiàm ante principium fuiſſet, neceſſum eſſet id ante principium incepiſſe, atq́; ita fuiſſet principium ante principiũ, hæc pugnant, & ſeqveretur inde, principiũ non eſſe principiũ. Proindeq́; artificioſè dictum eſt: In principio erat verbum: Qvo clarè oſtenditur, ipſum non incepiſſe, atq́; ita ipſum fuiſſe ac ſubſtitiſſe ante principiũ, propterea q́; æternum eſſe. Ac ſi reſponderet Johan: Hæreticis qvi Chriſtum ante nativitatẽ è Maria exſtitiſſe negabant, hunc in modũ: Impiè ſentitis Hæretici, æternitate præ-

ceſſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ceſſit Dominus Virginem matrem, nam in Principio, qvando Dominus cœlum terramqvè condidit, jam erat Verbum in æternitate.

L.

Utrobiq; igitur, & in Geneſi & hoc loco principium initium temporis ſignificat; ſed in Geneſi habet reſpectum ad ſeqventia, qvæ ordine qvodam in tempore producta ſunt: In Johanne verò ad præcedentia, i. e. æternitatem, anteqvam ulla res creata eſt: alioqvin ſi Deus primum creaſſet Verbum, qvod volunt Ariani, dixiſſet Johannes: In principio fecit verbum, vel in principio factum eſt verbum, ſicut illud obſervavit Hemmingius ad hæc verba.

LI.

Cum hac interpretatione conſonant alia dicta ſcripturæ, ut Pſalm. 90, 2. & 110. v. 3. Prov. 8. v. 22. ſeq. Col. 1. 15. Joh. 8. 58. & cap. 17. v. 5. 2. Theſſ. 2 13. In qvibus æternitas divini Verbi oſtenditur, qvod jam erat in principio ante omnia: Qvia autem ante mundum conditum nihil erat temporariũ, conſeqvens eſt, qvod ſi Verbum jam erat in principio, cum mundus conderetur, temporarium non ſit, ſed ἄναρχον, ἄχρονον ac æternum, qvod aliud eſſe non poteſt qvam verus Deus.

LII.

Sed & ſublimiori modo videtur hoc principium Johannis, non inconvenienter ſummi poſſe, pro qvovis principio extra Deũ, qvod ante creationem à Moſe deſcriptam cogitari poteſt. Ut ſit ſenſus: In principio qvocunq; qvod animo vel ore ſignaveris, jam erat Verbum, adq; adeò erat ſine principio. Unde Hilarius lib. 2. de Trinit. pag. 17. Qvid eſt, inqvit, iſtud in principio erat? Tranſeunt tempora, tranſcenduntur ſecula, tolluntur ætates. Pone aliqvod qvod voles tua opinione principium, non tenes tempore, erat enim. Et Nazianzenus tract. de Fide: Qvodcunq; Principium Verbi aſſignare volueris, præjudicatum habebis, qvia in principio erat.

LIII.

Nec abſurdi qvid, aut anologiæ fidei contrarium ſtatuerit, qui dixerit Johannem per principium heic intelligere æternitatem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

qvâ nihil eſt prius, ſed eſt principium ſine principio omnium principiorum durationis mundi. Ut ſit ſenſus: In principio, in æternitate, qvæ prima omnium durationum eſt, erat Verbum. Hinc phraſis ἐν ἀρχῇ vel ἀπ' ἀρχῆς, nonnunqvam notat æternitatem ut 2. Teſ. 2. v. 13. & hac φράσει æterna Patris exiſtentia indicatur 1. Joh. 2. 13. Sicut de æterna Filii exiſtentia hunc locum explicat ipſe Joh. 1, Epiſt. cap. 1. v. 1. cum qvo concordant illa Mich. 5. v. 2. Prov. 8. 33. & Eccleſiaſt. 24, 10. ubi explicitè Spiritus Sanctus ſemel per Michæam & bis per Salomonem (ſi illi alias aſſcribendus eſt Eccleſiaſticus) inculcat per Principium æternitatem ipſam eſſe intelligendam.

LIV.

Atq; hac ratione occurrit Evangeliſta hac prima propoſitione, de æternitate Λόγου & æternâ Filii generatione, Hæreticis Ebioni & Cerintho, ac conſeqventer etiam Photino cum omnibus ſuis ſectatoribus, Chriſtum negantibus æternum eſſe Deum, ſtatuentibus eum creaturarum eſſe primam, vel ante Mariam non exſtitiſſe. Occurrit Judæis dicentibus: 50. annos nondum habes, & Abraham vidiſti Joh. 8. v. 7. Occurrit Gentibus oggerentibus Paulo Act. 17. v. 18. dicendo: qvid vult garrulus iſte dicere, Novorum Deorum annunciator videtur eſſe. Occurrit Machometho divinitatem Chriſto & æternitatem neganti. Occurrit deniq; Alogianis & Arianis qvi blaſphemè & impiè dicebant: Non ſemper Deus Pater fuit, creatura enim eſt & factura Filius.

LV.

Hanc primam Propoſitionem excipit ſecunda qvæ hæc eſt: Καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν: pro cujus, ut & ſeqventium duarum, genuino intellectu obſervandum heic eſt, vocem Θεοῦ & Dei in ſacris monumentis ſumi partim propriè partim modificatè.

LVI.

Propriè qvidem qvatenus ipſum cæli terræq; conditorem denotat, ita ut is ſit independens, increatus, infinitus ac æternus à priori & poſteriori, ut ita è tali Dei appellatione ad Deitatem apodicticè argumentari poſſimus: Ubi viciſſim notandum Deum in propria iſta ſignificatione innui vel eſſentialiter, prout eſſentia Dei u-

nica

nica tribus Perſonis eſt communis παρίσως, nulli vero ἐξοχικῶς qvum numerica ſit eſſentiæ Divinæ unitas, & propterea etiam Perſonarum Deitatis ὁμοϐσία & ἰσότης: ut Deut. 4.35. & 6.4. & 32.39.1. Samuel. 2.2.2. Samuel. 7.22. & 22.32. 1 Reg. 8.60. & 18 39.2. Reg. 5. 15. & 19.15.19. 1. Paral. 17. 20.2. Paral. 6.14. Pſalm. 86.10. Marc. 12.29. Eph 4.6.1. Timoth. 2.5. &c. Vel Perſonaliter, prout ſingulis Deitatis Perſonis tribuitur θεϊκῶς καὶ μονοτρόπως, v. g. Deo Patri, Math. 26. 46. Marc. 10.1. & 14.25. & 16.19. Luc. 1.31.35. Joh. 3.16. & 16.27. & 20.17.31. Act. 2.22.24. & 7.37. & 10.38. Rom. 1.7.1. Cor. 1.3. & 3.23. & 8.6. & 11.3.2. Cor. 1.2.19. Apoc. 2.6. & 14.4. Deo Filio, Pſalm. 45.8. Eſ. 9. 6. Joh. 20 28. Rom. 9.8.2. Cor. 1 21.1. Timoth. 3.16.1. Joh. 5.20. &c. Deo Spiritui Sancto, Act. 5.4. & 11.17. & 28.26. juxta illa qvæ ſunt Eſ 6.8.1. Cor. 3.16.17.2. Cor. 6.16.

LVII.

Qvando autem & in qvibus locis vox Θεϐ & Dei propriè ita accipiatur, ipſe contextus facilè oſtendit, arguuntq; attributa Divina qvæ cum voce Dei propriè acceptâ in qvolibet Sacræ Scripturæ loco conjunguntur: qvalia ſunt tum ὀνομαστικά tum ἰδιωματικά tum ἐνεργητικά tum παθητικά ſive λατρευτικά.

LVIII.

Modificatè porro ſeu impropriè accipitur vox Θεϐ & Dei, qvatenus illud ſive μοναδικῶς in numero Singulari, ſive πληθυντικῶς in numero Plurali, etiam creaturis & Idolis tribuitur, partim in bonam, partim in malam partem, in qva acceptione ab appellatione Dei ad divinitatem non valet conſeqventia, ſed ſolumodo ad officii divinitatem, ſive veram ſive apparantem.

LIX.

Ubi notandum fundamentum talis denominationis, eſſe accidentale extrinſecum ſuperveniens, idq; contingens vel μεταφορικῶς, ſive ob veram analogiam & ſimilitudinem rei creatæ cum creatore: Sic Magiſtratus Dii vocantur qvod Dei vicem gerant Juſtitiamq; loco Dei adminiſtrent, explicante Paulo Rom. 13.1.2.4. 6. ad qvem modum Moſes non abſolutè ſed limitatè Deus μοναδικῶς appellatur, ita ut fuerit non Φύσει ſeu Θέσει conſtitutus Deus, & qvidem Pharaonis. Exod. 7.1. Aliiq; Magiſtratus πληθυντι-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

κῶς Exod. 22. 8. &c. ſive ob effectus aliqvos apparentes divinos, po-
teſtatemq; in rem aliqvam: Sic Diabolus dicitur Deus hujus ſecu-
li 2. Cor. 4. 4. qvia poteſtatem ſuam in hoc ſeculo exſerit, præſer-
tim in infideles, qvos idem, veluti laqveis conſtrictos, detinere di-
citur 2. Tim 2. 16 Jacob 5. 20 2, Pet. 2. 12, 1. Joh. 3. 8. & 4. 6. qvo
ſenſu etiam mundi Dominus appellatur Joh. 16. 11. Epeſ. 6. 12: Sic, ob
nimium curandi ſtudium, Venter dicitur Deus impiorum & Pſeu-
poprophetarum, qvippe qvi hunc magis qvam verum Deum & e-
jus gloriam curant & ſpectant Rom. 16. 18. Phil. 3. 9. vel καταχρηστι-
κῶς, qvando accipitur pro Diis Gentilium ſeu Idolis.

LX.

Qvaudo autem dictis jam modis ſumatur vox Dei, ipſa vocis
ſive appellationis ratio, & accurata locorum conſideratio haud
obſcurè monſtrat, ex ἐξηγήσεως & συγκρίσεως qvidem in metaphori-
cis, ſicut etiam in Catachriſticis ex eo, qvod nunqvam ἀληθινῶς
licet aliqvando δοξαστικῶς ſcriptura de Diis Gentium loqvatur
glorioſe, ſed ſemper ignominioſè, denegans illis attributa glorioſa
ſoli Deo competentia & tribuens illis talia, qvæ ſunt ignominioſa
veroq; Deo propterea non competentia.

LXI.

His poſitis ſtatuimus in ſecunda hac Propoſitione vocem Θεοῦ
ſummi propriè, qvod ipſi etiam Photiniani non negant, & qvidem
non Eſſentialiter & abſolutè pro eſſentia communi tribus perſonis,
ſed Perſonaliter & relatè, pro Perſona Patris, ut ita non referat
ſimpliciter & abſtractè Deitatem, ſed in concreto Deum ɔ: Pa-
trem habentem Deitatem: id qvod indicat ſenſus verborum, præ-
ter Articulum præfixum, de qvo talem habet Regulam Stapulenſis:
Qvando Θεὸς ponitur cum Articulo plerumq; notatur ὑπόστασις,
qvando ſine Articulo reſpicitur ad communem eſſentiam.

LXII.

Utitur autem heic voce Θεοῦ potius qvàm πατρός Johannes,
qvum in prima propoſitione non adhibuerit vocē υἱοῦ, cui, ceu cor-
relato, reſpondet vox πατρὸς, ſed Λόγου, qvæ magis uſitatè dici-
tur Θεοῦ qvam πατρὸς: Præterqvam, qvod hoc verbum fina-
le hujus propoſitionis conveniat cum verbo initiali ſeqventis pro-
poſitionis, ubi Patris vox locum non invenit. LXIII. Ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

LXIII.

Exorſus verò à Verbo ſeu Filio potius eſt, qvam à Deo ſeu Patre, qviâ ejus mens & ſcopus principalis fuit, demonſtrare Filium eſſe Deum, ac ita primò Verbum Deum demonſtrare, & per illud Patrem (notum qvidem ut Deum Judæis Pſal. 76. 2. qvanqvam paucis ſub hac ratione Paternitatis) mundo declarare, tandemq; per utrumq; Spiritum Sanctum; ut proindè rectè exorſus ſit à Verbo, per qvod deducit nos in cognitionem Patris, apud qvem erat Verbum.

LXIV.

Particulam porro πρὸς qvod concernit (qvam nonnulli ſubtiliter & curiosè magis qvàm utiliter & fructuosè, nè qvid gravius dicamus, per ad, cum Syro, vertunt, qvaſi ſenſus eſſet: Verbum habet relationem ad Patrem) illam potius adhibere voluiſſe videtur Evangeliſta qvam particulam ἐν (qvanqvam apud & in eatenus idem ſint, ut qvum de Deo loqvimur ubicunq; dicimus apud, dicere etiam poſſimus in, ut Filius eſt apud Patrem & in Patre: ſed non ubicunq; dixerimus in dicamus apud; Nam Patrem in Filio eſſe dicimus Joh. 14. 11. apud Filium eſſe non dicimus) ad declarandum ubi fuerat infinitis ſeculis Verbum, qvòd ſemper fuiſſe dixerat: Nempè πρός τὸν Θεόν apud Deum ſc. Patrem, tanqvam apud eum à qvo originem ducebat: Ad cujus dextram ſedebat Λόγος infinitus ante, extra, ſuper & citra omne tempus, non ſeſſione locali aliqva, ſicut aliàs in humanis Filius juxta vel apud Patrem ſedere dicitur: ubi qviſq; propter diſcretam Eſſentiam ſuum certum locum phyſicè ſortitur: ſed tanqvam Perſona apud Perſonam, & qvidem ſummo ac eminentiſſimo gradu, nimirum in eſſentiæ unitate, qvem arctiſſimum & pleniſſimum propinqvitatis modum comprehendit Præpoſitio apud, monſtrans ſimul ſubſtantiam & ſubſiſtentiam Divini Verbi: qvum Accidens non dicatur eſſe apud Subſtantiam, ſed in Subſtantia; Subſtantia autem benè dicitur eſſe apud Subſtantiam.

LXV.

Hinc Hemmingius ſtatuit hanc Propoſitionem tria docere, videlicet, diſtinctionem perſonalem, qva Filius à Patre diſtingvitur: Subſtantiam realem, qvâ verè ſubſiſtit Filius apud Patrem ſubſiſten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

tem: & ſimilitudinem, juxta qvam Filius dicitur Imago ſubſtantialis Patris Ut enim πρὸς Præpoſitio & diſtinctionis & ſimilitudinis eſt, ita Verbum ἦν h. e. ὑφίςατο ſubſiſtentiam realem ſignificat.

LXVI.

Unde rationem etiam putat ſumi cur Patres adverſus Sabellium uſi ſint vocabulo Perſonæ in myſterio Trinitatis, qvia ſc. Omne qvod ſubſtitit in natura intelligibile apud Latinos Perſona & apud Græcos ὑπόςασις dicitur Qvibus addi poteſt, qvod doceat etiam hæc Propoſitio Verbi conſubſtantialitatem & genituram à Patre, qvum Verbum apud Patrem nec tempore, nec loco diſtans, non Pater apud Verbum eſſe dicatur: Simulq; indicet Verbum non eſſe creatum, qvum creaturæ ſint extra Deum, hoc autem Verbum apud Deum, & ita apud Deum, ut & in ipſo Deo, & intra ipſum Deum ſit.

LXVII.

Qvamvis enim nos qvoq; dicamur eſſe in Deo Act. 17. longè tamen aliter qvam Verbum in Deo eſt, nos in Deo ſumus: ille eſt in Patre, qvia eandem habet cum Patre eſſentiam, & inde Deus eſt: nos ſumus in Deo, qvia ab illo conſervamur. Ille Filius Dei eſt natura, nos Filii adoptione. Et qvanqvam hac ratione Johannes dicere potuiſſet: Verbum erat in Deo, ſicut Chriſtus dicit Joh. 14. 10. Non credis qvod ego in Patre, & Pater in me? magis tamen perſpicuè exprimitur diſtinctio Perſonarum, qvandò dicitur, qvod Verbum erat apud Deum, qvia in Deo etiam eſt Miſericordia, Sapientia, Potentia. Qvæ tamen non ſunt diſtinctæ à Deo Perſonæ, qvalis eſt hoc Verbum. Qvæ Phraſis ſumpta eſt ex 8. cap. Proverb. v. 30. ubi Sapientia (per qvam Λόγος ſeu Filius Dei intelligitur) dicitur fuiſſe apud Deum vel coram Deo, ſicut & πρὸς uſurpatur, Joh. 5. v. 45. & explicatur phraſis Joh. 17. v. 5. Glorifica me gloria qvam habui apud te.

LXVIII.

Lutherus autem in Poſtilla Eccleſiaſt, in hæc verba ita commentatur: Ubinam, inqvit niſi apud Deum eſſet, qvando extra Deum ante res creatas nihil fuit. Johannes hæc ita extulit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ut diſtinctionem indicet Perſonarum, & alium eſſe qvem Verbum vocat, qvam Deum qvi illud dixit, & apud qvem erat. Ex hoc loco videmus fieri non poſſe, ut Deus ſit ſolitarius, qvum dicat apud eum aliqvid fuiſſe, nempe Verbum ſuum. Nam ſi ſolus ac unicus Deus eſſet, etiam ſecundum Perſonam, non dixiſſet: erat Verbum apud Deum; etenim aliqvid apud Deum eſſe, non eſt ipſum ſolum eſſe.

LXIX.

Notandum qvoq; eſt (pergit Lutherus) Evangeliſtam urgere hac Præpoſitione, apud, qvam paulò poſt repetit, Perſonarum diſtinctionem, qvam ita voluit exprimere, atq; ita per hoc obviam ire rationi naturali atq; futuris tunc Hæreticis; Nam eo qvod ratio facilius capere poteſt unum Deum eſſe & id tot Scripturæ loca teſtentur, ut verum eſt ſecundum ſubſtantiam, admodum ægrè admittunt, qvi ſolâ ratione nituntur, diſtinctionem perſonalem, ut plures Perſonæ unus Deus ſit.

LXX.

Atq; hinc nata eſt Hæreſis Sabellij, qvi Patrem Filium & Spiritum Sanctum unam Perſonam eſſe aſſeruit. Contra Arius, licet concederet Verbum ab initio apud Deum fuiſſe, tamen negavit id verum Deum eſſe: Alter confitetur & docet nimiam ſimplicitatem in Deo: Hic nimiam diverſitatem: Alter permiſcet Perſonas; Hic ſecat naturam. At veritas Chriſti media via incedit, confitetur & docet Perſonas impermixtas, & naturam indiviſam, Alia perſona qvidem eſt Filius, qvam Pater, at non alius Deus. Idcirco (concludit Lutherus) ratio Hæreſes concitat & errores: Fides docet & ſervat veritatem: Scripturæ namq; illa hæret, qvæ neq; fallit neq; mentitur.

LXXI.

Et huc ſpectat elegans locus Tertulliani ex lib. contra Praxean cap. 8. pág. 847, Sermo ergo & in Patre ſemper eſt, ſicut dicit: Ego in Patre, & apud Deum ſemper, ſicut ſcriptum eſt: & Sermo erat apud Deum; & nunqvam ſeparatus à Patre, aut alius à Patre: qvia, ego & Pater unum ſumus; Hæc erit probolæ veritatis, cuſtos unitatis, qvâ prolatum dicimus Filium à Patre, ſed non ſeparatum: Protulit enim Deus ſermonem, qvemadmodum

dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

dum etiam Paracletus docet, ſicut radix fruticem & fons fluvium, & ſol radium. Nam & iſtæ ſpecies probolæ ſunt earum ſubſtantiarum ex qvibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere & radicis fruticem, & fontis fluvium, & ſolis radium: qvia omnis origo parens eſt, & omne qvod ex origine profertur progenies eſt; multò magis ſermo Dei, qvi etiam propriè nomen Filii accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à ſole diſcernitur, ſicut nec à Deo Sermo: Igitur ſecundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere: Deum & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipſius: Nam & radix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ: Et fons & flumen duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ; & ſol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes. Omne qvod prodit ex aliqvo, ſecundum ſit ejus neceſſe eſt de qvo prodit, non ideò tamen eſt ſeparatum. Secundus autem ubi eſt, duo ſunt. Et tertius ubi eſt, tres ſunt. Tertius enim eſt Spiritus à Deo & Filio, ſicut tertius à radice fructus ex frutice; & tertius à fonte rivus ex flumine; & tertius à Sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qva proprietates ſuas ducit. Ita Trinitas per conſertos & connexos gradus à Patre decurrens & monarchiæ nihil obſtrepit; & οἰκονομίας ſtatum protegit.

LXXII.

Non admittimus igitur heic figuratum illum Socinianorum horum verborum ſenſum, qvo contendunt Evangeliſtam loqvi de Λόγȣ non ὑπάρξεως, ſed γνώσεως, ac figuratè indicare voluiſſe λόγον, antequã veniret ad Judæos ſuos ac manifeſtaretur, tantummodo notum fuiſſe, tanqvam Meſſiam, ſoli Deo, hominibus tamen ignotũ: qvum hanc expoſitionem non tantum non admittat vel loci hujus ejusq; adjunctorum natura, utpote qvâ τὸ eſſe apud Deum refertur tanqvam ſingulare qvoddam ſolius Meſſiæ privilegium, vel alia ſcripturæ teſtimonia, eodem ſenſu & modo accepta Joh. 17. 15. 1. Joh. 1. 2. ſed & cum argumento ſubjecto de æterno λόγῳ, ac ſcopo ſcriptionis qvi eſt Cerinthi errorem refutare, & conjunctis hoc loco, qvæ propriè intelligenda, non conveniat Ut nihil dicamus de ineptiſſima gloſſa Smalcij qvi explicat hunc locum de præſentia Λόγȣ apud Deum peculiari, aſſumpto ſc. eo poſt incarnationem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

in cœlis, ut acciperet ibi ſuam doctrinam, utpote qvod merum eſt figmentum, qvod non tantum è ſcriptura nulla ratione probari, ſed & ex ipſo textu præſenti refelli poteſt facillimè.

LXXIII.

Tertia Propoſitio ſeqvitur hæc ſcilicet, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. qvæ ita integrè legenda ex omnibus exemplaribus, non verò poſt ἦν cum Arianis, impiè Θεὸς à Λόγῳ ſejungendus, qvi ibi punctum figunt, ne illos propoſitio pungat, ac ita legunt: καὶ Θεὸς ἦν: ὁ Λόγος οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν; Qvid enim opus fuit hanc propoſitionem, Deus erat, extra locum inſerere, qvum exploratiſſimum eſſet, Deum eſſe, idq́; Johannes ſuppoſuiſſet, dicendo: Verbum erat apud Deum: Qvomodo verò apud Deum eſſe poterat, ſi Deus non erat. Nec certè Johanni heic ſermo eſt de exiſtentia Dei, qvæ omnibus nota, ſed de natura & exiſtentia Λόγου, qvi eſt Deus verus de Deo vero, Verbum ſc: Patris, ſeu Filius à Patre genitus, de qvo ſingula qvæ heic adducuntur prædicantur.

LXXIV.

Vox autem Θεὸς in hac Propoſitione, abſq́; Articulo poſita, non ſignificat Deum modificatè, & per participationem, ac ita minorem Patre, ſeu vero Deo, qvod volunt Photiniani (qvi ſtatuunt Chriſtum Deum eſſe per analogiam, & Filium Dei unigenitum vocari, tum propter conceptionem miraculoſam Luc. 1. 2. tum propter dilectionem Math. 3. 17. tum propter reſuſcitationem à mortuis Act. 13. 4. tum propter collocationem ad dexteram Dei majeſtaticam Heb. 1. neutiqvam verò ob participationem eſſentiæ Divinæ, infinitæ, increatæ, ac æternæ: divinitatem inſuper de Chriſto explicantes, partim per qvalitates & dona inſignia ac excellentiſſima in Chriſto, creata tamen, utpote qvæ ſunt reqviſita ad Eccleſiæ perfectionem, partim per perfectam firmamq́; Dei cognitionem, qvæ fuit tum in Chriſto, tum in Chriſti Evangelio) ſed propriè, verum ſc. & eſſentialem Deum, ſumpta eadem heic ἁπλῶς καὶ οὐσιωδῶς, qvia ponitur ſine omni adjectione, illiq́; talia, tàm in antecedentibus qvam conſeqventibus, tribuuntur, qvæ non cadunt in ullam creaturam, ſed ſunt ſolius Dei propria, paſſimq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

etiam in ſcriptura tam,V. qvàm N. T. attributa iſta Divina, ex qvibus infallibiliter colligi poteſt, juxta Theſin noſtram 57. vocem Θεȣ̃ ſummi in propria ſignificatione, huic Λόγῳ Filio Dei adſcribuntur, ſicut illa in Locis Communibus paſſim ſunt obvia.

LXXV.

Nec hanc ſententiam infringit illud, qvod ſine Articulo Θεὸς heic ponatur, qvum non modò in aliis locis qvamplurimis, imo ultra ducentis, nomen illud abſq; Articulo vero Deo tribuatur: ut præſentis cap. v. 6. 12. 18. & 20. v. 17. Rom 1. 7. & Philip 2. 11. Tit 4. 12. ſed & Filius ſingulariter cum Articulo ὁ Θεὸς vocetur Joh. 20. 28. Rom. 9. 5. Tit. 2. 13. 1. Joh. 5. 20. ubi interpretationem addidit Apoſtolus, ne qvis heic cavillationẽ qværeret; præterqvam qvod & eadem vox cum Articulo Idolis aliisq; creaturis tribuatur: ut Pſalm. 96. 4. 5. & 135. 1. Act. 7. 43. & 14. 11. 2. Cor. 4. 4. Gal. 4. 4. Philip. 3. 19. Ut propterea ab Articuli ſive ἄρθρȣ, ſive Θέσȣ ad propriam aut impropriam ſignificationem vocis Θεȣ̃ argumentari, id qvod facere videntur Photiniani, non modò falſum ſed & abſurdum ſit.

LXXVI.

Neq; tamen ſine cauſa ſuppreſiſſe heic videtur Evangeliſta Articulum ad vocem Θεȣ̃, ſed ut vitaret confuſionem Divinarum Perſonarũ, qvam aliàs facilè qvis intuliſſet, ſi dixiſſet & heic ὁ Θεὸς, accipiendo hanc vocem ſimiliter de Perſona: unde ſeqveretur Verbum eſſe illammet perſonam dicentem i. e. Patrem, vel Patrem eſſe etiam Verbum, & ita duo eſſe Verba, qvod abſurdum fuiſſet. Suppreſſus eſt igitur Articulus in voce Θεὸς & poſitus in dictione Λόγȣ, ut ſit ſenſus, Verbum hoc habere veram Deitatem, ut modò evicimus, ad confuſionem invidi Dæmonis, Arii, Photini, Machometis, & omnium Judæorum ac Paganorum, malè de myſterio Trinitatis ſentientium, & ad conſolationem ac ædificationem fidelium, qvi tanto Dei myſterio credito, gloriantur & exultant; ut nihil heic dicamus de illis qvi exiſtimant removiſſe heic Evangeliſtam Articulum, non ut inæqvalitatem naturæ ſignificaret, ſed ut generationem ipſius inſinuaret: qvum licet naturâ Λόγος ſit Deus, & ejuſdem eſſentiæ cum eo apud qvem eſt, ab eo tamen eſt genitus

Deus

Deus de Deo, idem qvidem cum Patre qvoad eſſentiam, ſed tamen à Patre, qvi à nemine.

LXXVII.

Qvanqvā verò Propoſitio hæc, Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, convertenda videatur in terminis, hoc modo, ὁ Λόγος ἦν Θεὸς, qvod innuit præter Articulum, vel propterea etiam appoſitum Λόγῳ, & Evangeliſtæ inſtitutum, duæ priores Propoſitiones cum ſeqventi qvarta unà, in qvibus Λόγος ſemper eſt Subjectum, ut ita ordo prolationis diſtinctus ſit ab ordine conſtructionis, qvo finis præcedentis membri initium eſſet ſeqventis, nullo etiam, qvo ad ſenſū, cum diſcrimine: (qvum idem ſit ſive dicamus, Verbum erat Deus, ſive, Deus erat Verbum: Qvemadmodum idem eſt dicere: Deus eſt Spiritus & Spiritus eſt Deus: qvæ propoſitio occurrit Joh. 4. v. 24. ac ex utroq; neceſſariò ſeqvatur, Filiū Dei, qvi Verbum vocatur, verè Deum eſſe) Lutherus tamen in Poſtilla Eccleſiaſtica adſcribit hoc nonnullorum argutiæ, & non ſuſtinens ſe divelli à verbis textus, qvod Johannes probè noverit, qvomodo Verba ſua ordinaret, ſententiam horum Verborum hiſce exprimit verbis: Qvum non ſit (inqvit) niſi unus Deus, oportet ſanè eundem illud Verbum eſſe ſecundum ſubſtantiam ſeu exiſtentiam de qvo heic agimus: ut nihil ſit in natura Dei, qvod non & in Verbo exiſtat, ac ita clariſſimè exprimatur qvam verè Verbum hoc Deus ſit, qvum non modo verum ſit, Verbum eſt Deus, ſed etiam Deus eſt Verbum.

LXXVIII.

Non dico, pergit Lutherus (loqvens in Perſona Johannis) Verbum eſt Deus, qvod eo rapi poſſet, uti tu Arie facis, qvaſi Deitas diceretur qvidem de Verbo, ut de aliis ſanctis, non autem eſſet verè & naturaliter Deus, ſed ajo, Deus eſt Verbum, qvod neqvit aliter intelligi, qvam qvod id qvod omnes Deum confitentur & nominantidem Verbum exiſtat de qvo loqvor.

LXXIX.

Ordine igitur convenientiſſimo has tres Propoſitiones ita propoſuit Evangeliſta, ducens nos à notioribus ad ea qvæ ignotiora ſunt, & ex præcedentium cognitione fiunt manifeſtiora.

Qvodammodo enim eam aſſeqvi poſſumus ſententiam, in principio erat Verbum, non autem tàm facilè illam, Verbum erat apud Deum, & minus hanc, Verbum erat Deus, ſi ſingulæ per ſe conſiderarentur. Neq; ita ſolum notior eſt una Propoſitio alterâ, ſed una per alteram probatur. Si enim Verbum in principio erat & omnia præceſſit, ſeqvitur qvod erat apud Deum, apud aliud enim eſſe non potuit, qvia nihil tunc extra Deum erat: Si autem in principio erat, & apud Deum erat, ſeqvitur qvod erat Deus: nihil enim intra Deum eſſe poteſt, qvod ſit alterius naturæ, ſed neceſſe eſt Deum ipſum eſſe: Proptereaq; meritò prius dictum eſt, Verbum erat apud Deum, qvam diceret, Deus erat Verbum, qvaſi hoc diceret, qvod nihil aliud eſſet Verbum (ſcilicet qvoad naturam & Eſſentiam) qvam illud ipſum qvod erat ille apud qvem erat.

LXXX.

Occurritur etiam hac Propoſitione, Qvæſtioni ſeu Objectioni, qvæ ex ſecunda Propoſitione inferri poterat hoc modo: Si Verbum erat apud Deum, videtur aliud eſſe à Deo: Reſpondet autem Johannes & ait: Et Deus erat Verbum, q. d. tametſi Perſona Filii à patris Perſona diſtingvitur realiter, tamen non dividitur eſſentialiter: Eſt enim una utriuſq; eſſentia Divina, Filio Patri exiſtente ὁμοουσίῳ ɔ: coeſſentiali, ejuſdem naturæ, non multiplicatæ ſed unius atq; ejuſdem numero. Et hinc Patres, ad refutandũ Arianos, vocabulum ὁμοούσιον ſumpſerunt, qvo ſignificatur qvod Pater Filius & Spiritus Sanctus & ſimul exiſtant, & ejuſdem numero ſint naturæ: Unde nata eſt hæc loqvendi formula in Eccleſia: Non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus: etſi alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: In qva formula, Neutrum Genus ad Naturam, Maſculinum v. ad Perſonam refertur, obſervante Hemmingio.

LXXXI.

Hanc tertiam Propoſitionem qvarta tandem excipit, his concepta verbis, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν. οὗτος ſc. λόγος vel οὗτος Θεὸς ὁ λόγος, ut ita ſit hæc qvarta propoſitio repetitio tri-

um

um priorum hoc pacto : οὗτος Θεὸς ὁ Λόγος, ἦν ἐν ἀρχῇ, πρὸς τὸν Θεόν.

LXXXII.

Atq; ita circumſpectè loqvitur Evangeliſta de hoc myſterio, qvo qvoslibet Hæreticos proſternat : Qvemadmodum enim ſupra, ne qvis ex eo qvod dixerat Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, inferret cum Ario Verbum eſſe aliud à Deo, mox ſubjunxit, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος; Ita hoc loco ne qvis ex eo qvod dixerat Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, conſtitueret unitatẽ Perſonæ in Divinis, cum Sabellio, repetit qvod dixerat de diſtinctione Perſonarũ & ait: οὗτος ἦν ἐν ἀρξῇ πρὸς τὸν θε-ὸν ɔ: ὁ Λόγος ἦν Θεὸς, ὁ Λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν. Jam ſi Λόγος eſt Deus, eadem eſt natura Patris & Filii, contra Arium : Si Λόγος erat apud Deum, certe alius eſt Λόγος à Deo Patre, i. e. diſtincta perſona ab eo, contra Sabellium. Si Λόγος erat in principio, neceſſario coæternus eſt Patri, contra Cerinthum & Ebionem : qvæ omnia & ſingula myſteria ſolâ fide apprehendenda ſunt, ſecundum ſcripturam, captivatâ interim ratione in ejus Chriſtiq; obſeqvium modeſtiſſimè.

LXXXIII.

Tres igitur ſententiæ priores heic repetitæ ſunt, ut credamus non ſolum illas ſigillatim eſſe veras, ſed etiam ſimul & conjunctim ſumptas : ac ſciamus ἐν ἀρχῇ addendum etiam reliqvis clauſulis : ſc. hoc modo Verbum erat in principio : & erat in Principio apud Deum : Et in Principio erat Deus : ne qvis cogitet cœpiſſe illud in tempore aliqvando eſſe Deum, & Perſonam Divinitatis : ſed ſciat ab æterno & fuiſſe, & apud Deum fuiſſe, & Deum fuiſſe : ut ita nulla heic ſit ταυτολογία. Ad hæc docet hæc Præpoſitio Λόγου coæternũ Deo Patri, non eſſe naturâ & voluntate ab eo diſtinctum, ſicut Dii Gentiũ inter ſe diſtincti ſunt. Nam licet Λόγος erat in principio: & apud Deum, & Deus, non tamen alius naturâ alius voluntate Deus, nam hic λόγος erat in principio apud Deum, accipiens naturam & voluntatem à Deo per æternam generationem, Pſalm. 2, 7. ad Heb. 1, 5. ut propterea Pater nec ſit prior Filio tempore, nec natura, ſed ordine tantum.

LXXXIV.

Suntqvi volunt hac Propoſitione ſtatum qvendam Λόγου deſcribi, prioribus tribus agentibus de Verbi natura & perſona, qvod heic omittatur copula καὶ qvæ priores tres enunciationes copulat: Atq; ita tranſitionem heic fieri ad ſeqventia, ac doceri qvod Λόγος in principio anteqvam qvicqvam factum eſſet, erat ſolum apud Deum ipſum abſconditus, inviſibilis, & non manifeſtus ante ſui manifeſtationem per opera, inter qvæ præcipuum eſt incarnatio, neq; ad qvicqvam aliud referebatur qvàm ad Deum ipſum, cujus per generationem æternam erat Filius: Et hunc ſenſum, cum tali oppoſitione ipſe Johannes 1. Epiſt. cap. 1. 2. clarioribus verbis indicare videtur, dum inqvit: Annunciamus vobis vitam illam æternam ἥτις ἦν πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ὑμῖν

LXXXV.

Qvæ expoſitio ne facere videatur cum depravatione textus Evangelici Socini, de qva & ſupra nonnulla monuimus, ſciendum eſt, eſſe apud Deum in principio, aliter à Johanne & orthodoxis, & aliter â Socino cum ſuis orchodoxis accipi: qvum hic ejus exiſtentiam intelligat de Dei decreto, qvod fuit ab æterno, de generatione ejus ex Maria Virgine, ſicut de creatione Adami ex nihilo: Ille verò de perſonali ejus ſubſiſtentia ſecundum Divinitatem, qvæ fuit inconſpicua omnibus, hominibus Joh. 1. 18. qvamdiu ipſe Λόγος fuit ἀσύνδετος perſona æterna, nondum aſſumpta in ſuam talem ὑπόστασιν, pro exſeqvutione etiam iſtius decreti æterni, carne in tempore, Deo ita in ſe inviſibili manifeſtato nobis in plenitutine temporis 1. Tim. 3. 16. in qvali viſibili viciſſim perſona compariturus eſt in extremo judicio, ad judicandum vivos & mortuos, ubi oculis ſuis videbunt omnes χριστομάχοι illum qvem heic blaſphemarunt, ſicut Judæi Jehovam qvem crucifixerunt, Zach. 12. 10. dignas tunc propterea, illo Judice, daturi pœnas in æternum.

LXXXVI.

Interea autem veneramur, verum illum & æternum Dei Λόγον, conſubſtantialem Patri æterno, Dominum noſtrum Jeſum Chri-

Chriſtum, ut ipſe potenti ſuâ dexterâ omnibus hoſtium ſuorum furoribus reſiſtat, honorem ſuum ipſe per nos, qvamvis indignos, aſſerat, & hanc veritatis cœleſtis aſſertionem, ſine qva nulla ſalus expectari poteſt, ad poſteros, ſi qvi futuri ſunt, intemeratam propaget, ad nominis ſui divini gloriam, & Eccleſiæ ſuæ ſalutarem inter nos conſervationem ac ædificationem.

Huic æterno Dei Λόγῳ, cum Deo Patre æterno, in unitate coæterni Spiritus Sancti, Uni-Trino vero Deo, ſit honor & gloria, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, in ſecula ſeculorum. Amen & Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

LOGOLOGIÆ
SACRÆ
Diſputatio poſterior,

DE ΛΟΓΩ CONSIDERATO IN TEMpore, ex verſibus à 3. ad 15. cap. I. Evangelij Johannis.

Qvam

D. O. M. A.

In Regia Academia Hafnienſi, ad diem XIV. April. loco & horis conſvetis,

PRÆSIDE

JOHANNE JOHANNIS
Reſenio, S.S. Theol. D. & Profeſſore ordinario,

Publicè defendendam ſuſcipiet

Johannes Joannis Viburg.

HAFNIÆ,
LITERIS SARTORIANIS.
ANNO M DC XLI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

IN NOMINE JESU CHRISTI.

THESIS I.

EXpeditâ, æterni Λόγου auxilio, pro inſtituti noſtri ratione breviſsimè & ſimpliciſsimè, priore Logologiæ noſtræ Diſputatione, conſideratione illâ, qvæ, manuducente Johāne Evangeliſtâ, Evangelii ſui cap. 1 verſibus 1 & 2, inſtitui poteſt, de Λόγῳ conſiderato ab ęterno, in comparatione ad dicentem; reliqvum jam eſt, ut ejusdem Johannis veſtigiis inſiſtentes, memores & heic inſtituti noſtri, hâc poſteriore Diſputatione Logologiæ noſtræ, eâdem brevitate & ſimplicitate, ſub placidam συζήτησιν vocemus ejusdem Λόγου conſiderationem in tempore, in comparatione ad ea qvæ dicta ſunt, ipſo Λόγῳ porrò etiam nos illuminante benigniſſimê ac in omnem veritatem ducente efficaciſſimê.

II. Hac autem ratione conſiderat Johannes Λόγον, reſpectu habito ad creaturas, & qvidem primò, qvoad ipſam Creationem diviniſſimam inprimis, & deinde qvoad Conſervationem ſimilem omnipotentiſſimam.

III. De Λόγῳ conſiderato in tempore, reſpectu habito ad creationem omnium rerum in principio temporis, & cum illo una, duas ponit Evangeliſta æqvipollentes v. 3. Propoſitiones, qvarum prior Affirmativa; poſterior v. Negativa eſt.

IV. Affirmativa Propoſitio, concernens Creationem omniū rerū per Λόγον, hilce abſolvitur verbis: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο: in qva Propoſitione ſignificatio vocis πάντα neq; nimis latè extendenda, & plusqvā par eſt dilatanda, cū Macedonio, ad includendum Spiritū Sanctum, qvi non factus ſeu creatus, ſed cum Factore eſt, ipſe ſc. Cre-

ator cum Patre & Filio Gen. 1, 2. Job 33, verſ. 4. Pſal. 33. v. 6. & 104, 30: neq; nimis ſtrictè cõarctanda ac contrahenda, ſive excluſis inviſibilibus, pro ſenſibilibus tantum, vel omnibus cum Heracleonta, vel ſolo Homine cum Socino, non qvidem ut initio creatus eſt à Deo cum cœteris creaturis, ſed qvatenus inſtauratus, & ſpirituali qvadam ratione denuò creatus Evangelii verbo: qvaſi ſermo heic ſit, non de corporei hujus mundi, ſed de ſpiritualis Mundi ſtructurâ, in qva, omnia nova, ſpiritualia & divina, non aliunde ortum habeant, qvam à Jeſu Chriſti Evangelii prædicatione, utpote qvæ Chriſti opere & poteſtate ſunt facta: ſive contra, cũ Manichæis, excluſis viſibilibus, pro inviſibilibus: ſicut nec pro Signis & Miraculis; ſed medio modo accipienda, pro omni eo qvod extra Deum factũ eſt, juxta optimum Johannis Interpretem Paulum, dum inqvit: Per eum condita ſunt omnia, qvæ in cœlis ſunt, & qvæ in terra, viſibilia & inviſibilia, & throni & dominatus, & imperia & poteſtates: omnia per eum, & ejus reſpectu condita ſunt, Col. 1. v. 16. Unde Auguſtinus Tractatu primo in Johannem: Qvæcunq; facta ſunt, inqvit, in creaturis, ab Angelis usq; ad Vermiculum, per Verbum facta ſunt.

V. Et ſic plus uno verbo Johannes, qvam Moſes pluribus dixit: Qvum Moſes longâ oratione rerum creationem, utpote omnium tunc temporis acceptorum, maximũ opus exponens, non niſi res corporeas, nec eas qvidẽ ſingulas, ſed præcipuas enumeraverit; de aliis v. qvæ innumeræ ſunt, ac de Angelis, qvi corpora non habent, nullam fecerit mentionem: Johannes autem ad majus, nempe Redemptionis per incarnationem peractæ, opus properans, unico verbo omnia omninò complexus ſit.

VI. Qvi enim omnia dicit, nihil excludit. Omnia v. per Λόγον facta ſunt, præter eum per qvem omnia facta ſunt, ſc. Factorem: perinde ut Apoſtolus I. Cor. 15, 27. locum Pſal. 8. v. 7. interpretatur dicens; Qvum dicit omnia eſſe ei ſubjecta, palam eſt hoc dici excepto eo qvi ſubjecit ipſi omnia: monente Luthero ad hæc verba. Et hinc manifeſtum eſt, contra Manichæos, eundem eſſe Deum Creatorem & Redemptorem, eundemq; Auctorem Veteris & Novi Teſtamenti, qvia ob id Creationis meminit heic Johannes, ut per eum

repa-

reparata omnia cognoſcamus, perqvem ſecula facta & condita. Hebr. 1, 2.

VII. Qvicqvid igitur præter Deum triunum eſt, ſive ſpirituale, ſive corporale διὰ τὸν Λόγον, ſeu per manum ejus, ut phraſi Hebraicâ habet Syrus, factum eſt: Non qvaſi Λόγος Creatori cauſam præſtiterit mundanæ creationis, juxta Valentinum; qvâ ratione omnia à Verbo per Patrem facta dicerentur: Neq; qvaſi per artem alienam qvæ non eſſet in Patre; qvod nihil prîma Perſona accipiat à ſecunda, ſed qvicqvid habet ſecunda, accipiat à prima: Nec tanqvam per Inferiorem Miniſtrum aut inſtrumentum: cum Particula διὰ non tantum inſtrumentali, verum etiam principali Efficienti tribuatur Gen. 4, 1. Proverb. 8, 15. I. Cor. 1. v. 1. 10. Gal. 4. 47. II. Cor. 1. v. 1 & Paulus Col. 1. v. 16. 17. dicat, πάντα ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη, καὶ τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. & Hebr. 2. v. 20. non tantum δι' οὗ, ſed etiam δι' ὃν τὰ πάντα occurrat. Sed Particulâ διὰ uſus eſſe videtur Johannes de Λόγῳ loqvens, utpote illi nomini optimè conveniente, qvâ etiam indicatur ordo & diſtinctio inter Perſonas Trinitatis: ut enim Filius eſt à Patre per æternã generationem, Pſal. 2, 7. Hebr. 1, 5. operans propterea ut videt Patrem operantem, Joh. 5. 19. Sic Pater per Filium ſecula condidit. Heb. 1. v. 2.

VIII. Atq; ita per ipſum omnia facta, tanqvam per Filiũ eſſentiã à Patre habentem, natũ ſc. ab æterno ex eſſentia æterni patris, & ſic, coæternum illi, ac omnia qvæ Pater facit æqvaliter facientem: qvià ſicut à Patre omnia, ſic per Filium omnia, unicâ virtute operandi, qvæ in Patre à nullo, in Filio v. à Patre cum divina eſſentia communicata. Qvod etiam haud obſcurè ſignificavit Moſes initio Geneſ. toties verbum, DIXIT, repetendo.

IX. Significat igitur hic character ſecundæ Perſonæ Trinitatis, qvod per Filium à Patre omnia condita prædicentur, I. Cor. 8. v. 6. non ſeparabilem ſubſtantiam Patris & Filii, ſed inconfuſibilem diſtinctionem, qvod alius ſit Pater, alius Filius: ſicut Paulus Rom. 11. 36. diſtinctè haſce notas ponit, in hæc prorumpens verba: Qvoniam ex eo (Patre tanqvam primo divinitatis fonte,) per eum (Filium tanqvam omnipotentis Patris dextram, ac ita medium,) & in illo (Spiritu ſancto tanqvam cauſa movente & fine) ſunt omnia. Qvod

 tamen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

tamen ita intelligendum, ut non magis aut minus ab una perſona qvam altera ſtatuantur eſſe omnia, qvum omnis Creatura, opus Dei ad extra exiſtens, æqvaliter ſit opus Patris, Filii & Spiritus Sancti: ſicut Deus aqvaliter dicitur de Patre, Filio & Spiritu ſancto. Et hinc Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 10. hoc Pauli dictum ita interpretatur, ut totum conveniat Chriſto principaliter, ex ſcopo Apoſtoli, totum Patri, & totum etiam Spiritui ſancto.

X. Utitur autem Evangeliſta de Creatione verbo ἐγένετο, cum Verbũ hoc cõmune ſit, dicaturq;, inter alia ejus ſignificata, & de iis qvæ ex aliqvo, & de iis qvæ exnihilo fiunt; unde etiam primus liber Moſis Geneſeos nomen obtinuit. Qvam ultimam acceptionem hujus eſſe pręcipuè loci innuit Apoſtolus Paulus efferens rerum harum per Λόγον productionem verbo κτίσεσθαι Col. 1. v. 16. ſicut & בָּרָא & עָשָׂה de eodem negotio in Vet. Teſtamento occurrunt, illud Gen. 1. v. 1. hoc Pſalm 124. v. 8. qvæ utraq; verba ſeptuaginta Interpretes per ποιεῖν vertunt.

XI. Non agitur ergo heic de generis humani per Chriſtum reſtiſtutione, ſed de prima rerum è nihilo productione, id qvod etiam haud obſcurè indicat Propoſitio ſeqvens Negativa, his comprehenſa verbis: καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν ὃ γέγονεν. Hanc enim mediam horum verborum, cum Græcis plæriſq;, Luthero & aliis, lectinem, tanqvam optimè ſibi conſtantem, & perſpicuum ac facilem ſenſum admittentem, qvàm & Græcum Relativum poſtulare videtur, amplectimur; rejectis duabus extremis, tum illorum, qvi poſt οὐδὲ ἕν puncto finiunt hanc Propoſitionem, referentes verba poſtrema ὃ γέγονεν ad ſeqventia, cum qvibus tamen aptè non cohærent: tum horum, qvi, non abſq; tautologia, ex ſeqventi Propoſitione ad hanc referenda cenſent verba ἐν αὐτῷ, quaſi hæc eſſet Propoſitio: καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ: Qvæ non videtur ſatis convenientem & tolerabilem admittere interpretationem.

XII. Noſtræ autem Propoſitionis ſententia eſt expedita. Nam ut magis exprimeretur præcedens rerum omnium comprehenſio, ac excluderetur Pater cum Spiritu ſancto, qvi, perinde ut Λόγος, non facti ſed Factores & ſocii fuerunt Λόγου in glorioſo & admirabili opere Creationis, qvod dictum erat per affirmationem ἐξηγητικῶς con-

confirmatur per negationem, repetitâ iterum iterumq; aliis atq; a-
liis verbis re tam gravi, & neceſſariâ, more aliàs in ſacris non infre-
qventi, I. Sam. 3, 18. Eſa. 39, 4. Jer. 42. 4. &c.

XIII. Sed & nè qvis Λόγον dictum eſſe feciſſe omnia arbitraretur, qvia plurima fecit, phraſi etiam ſcripturæ I. Cor. 9. v. 25. Phil. 2. v. 21. vel Λόγον ipſum heic excipi, qvi non per ſeipſum, ſed per Patrem factus eſſet: vel Λόγον etiam reliqviſſe ſuam Creaturam à ſe ita divino modo creatam; adjunxit Evangeliſta generalem Negativam in ſingulari: Nihil qvod factum eſt, ſive ſpirituale, ſive corporale, χωρὶς, ſine, absq;, præter, citra, (hæc enim ſignificata habet particula χωρὶς cum Genitivo) Λόγȣ factum eſſe, ex omnibus qvæ ſunt facta, aut ab eo non pendere ac conſervari; Qvum ſine Λόγῳ ſuſtentantè, ac qvaſi manutenente ſingula, omnia in nihilum redigerētur. Et ſic hæc Propoſitio non tantum Λόγον omnia condidiſſe, verum etjam per illum ſingula & gubernari in eſſe ſuo, & Providentia ipſius ad fines ſuos perduci, haud obſcurè indicat: id qvod etiam obſervavit Lutherus Tom. 2. Isleb. fol. 42. 43.

XIV. Removetur interim heic Peccatum, qvod neq; creata ſubſtantia, neq. creatum Accidens, ſed defectus potius, qvam effectus appellandum, vi vocis etiam, tàm Latinæ Peccati, qvod derivant nõ nulli ab Hebræo פּוּק titubare, vacillare, qvam Hebraicæ חַטָּאָה aberravit à præfixo ſcopo, & Græcæ ἁμαρτία qvaſi ἀμαρπτία ab α particula ςερητικῇ & verbo μάρπτειν qvod eſt aſſeqvi, apprehendere: qvodq; Creatione rerum jam abſolutâ perfectâq; per Satanam auctorem ſubintroivit, Gen. 3. v. 1. Rom. 1. v. 12. Et hinc eſt qvod nonnulli per ȣ̓δὲ ἓν ſeu ȣ̓δὲν (qvas putant Particulas eſſe æqvipollentes, utut prior magis Hebraiſmum Pſ. 139. v. 16. Et Machab. 7. v. 46. occurrentem ſpirare, ac univerſalitatem exprimere videatur) Peccatum intelligant, qvod eſt pura privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui humano, peccatorem nihilum faciens Pſal. 15, 4. Ezech. 28. v. 19. Ut nihil dicamus de Manichæo, præter, imo contra ſcripturam blaſphemè ſtatuente per NIHIL intelligi Mundum, cum corporeis & corruptibilibus, qvod á malo Dæmone profecta parum habeant Entitatis, & in nihilum tendant, ſintq; in cõparatione ad ſpiritualia, qvæ excellunt, Nihil: ſicut nec de Origene, per nihil extortè intelli-

gen-

gente Dæmonem, qvi qvanqvam qvoad ſubſtantiam ſit factus per Λόγον initio bonus, non tamen ab ipſo factus Diabolus, ſed ipſe talem ſe fecit ſuâ voluntate, in veritate non perſiſtens Joh. 8. v. 44.

XV. Et ſic hiſce binis etiam Propoſitionibus exprimitur Λόγος verus Deus conſubſtantialis Patri, cum Creatio ſit vera nota, & certum argumentum Divinitatis: unde etiam Prophetæ ad oſtendendam veram Divinitatem, & ad Idolorum ſimulacrorumq; gloriam tollendam, ſignum Creationis cœli & terræ, ſive Mundi, adducere & producere ſolebant. Nehem. 9, 6, Job. 9. 8. 9. Pſ. 89, 12, 13, & 90, 2. & 102, 25. 26. & 121, 2. 124, 8. & 146, 6. Prov. 3, 19, & 8, 23, ſeq. Eſa. 40, 28 & 42, 5. & 44, 19. & 45, 12. & 48, 13. Jerem. 10, 11, 12 & 27, 5 & 32, 17. & 51. 15, Jon. 1. 9. Zach. 12. 1.

XVI. Conſiderato ita Λόγῳ in tempore ratione Creationis omnium, pergit Evangeliſta ad eundem conſiderandum ratione Conſervationis creaturæ ſuæ & inprimis hominis, cujus potiſsimum gratiâ conſcriptum Evangelium, & id qvidem in Statu ejus, tum initio, integritatis, tum poſt corruptionem, reſtitutionis.

XVII. De Λόγῳ conſiderato ratione Conſervationis rerum in Statu integritatis ſimiliter v. 4. duæ afferuntur Propoſitiones: qvarum prima hæc eſt : ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν; qvæ lectio nobis accuratior videtur, qvam vel eorum, qvi, connectentes verba ἐν αὐτῷ cum præcedentibus, legunt ζωὴ ἦν, qvaſi contineret Propoſitio hæc ζωὴ ἦν, cauſam, qvare ſine Λόγῳ factum ſit nihil, qvia ſc. erat vita: vel illorum, qvi ἐν αὐτῷ nec uni nec alteri jungunt, ſed ſumunt per ſe, non absq; violentia, ut ſit ſenſus, Qvod factum eſt in ipſo (ſupple eſt, Ellipſi qvidem Hebræis alias non inuſitatâ, heic tamen minus commodâ) ad ſignificandum, qvod non tantum facta ſint omnia per ipſum & cum ipſo, ſed & in ipſo, ac ſtatim ſeqvatur, Vita erat, i. e. hoc etiam Verbum vita erat: vel horū etiam, qvi, ex præcedente Propoſitione huc referentes verbum ὃ γέγονεν, legunt ſive ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν: ſive ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν. Qvanqvam & illæ præter Manichæorum, Eunomianorum, Macedoniorum, Arianorum pravas & hæreticas expoſitiones, ſive de rebus qvibusdam vitæ expertibus non factis per Λόγον: ſive de vita omnium rerum etiam inanimatarum: ſive de Spiritu ſancto facto per Λόγον vita exiſtente; ſive de ipſo Λόγῳ facto: veras etiam, ſed coa-

ctas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ctas & nimis longè petitas interpretationes admittere poſſe videantur, non diffitente etiam Luthero in Poſtilla Eccleſiaſtica, qvas brevitatis ergò ſcientes & volentes taciti prætermus.

XVIII. Noſtræ v. lectionis, in ipſo Vita erat, ſimpliciſſima interpretatio videtur eſſe hæc; Λόγον eſſe fontem & originem vitæ omnium, dum omnium eſſentia, & vita ſuſtentatur & conſervatur per ipſum, ſicut Paulus docet Act. 17. v. 28. Col. 1. v. 17. Heb. 1. v. 3; ut ita agat hæc Propoſitio non de ſpeciali vita ſpirituali hominum, ſed de univerſali rerum conſervatione per Λόγον; qvod etiam innuere videtur vocula ζωὴ ſine articulo heic poſita.

XIX. Eſt enim Λόγος hic cauſa ſubſiſtentiæ, motus & vitæ, durationis, & conſervationis omnium rerum exiſtentium, qvæ ſunt, moventur, & vivunt, ac vivifica Virtus, qvâ omnia & ſingula, pro ſuo modo & modulo vivificantur & conſervantur; unde omnia vitam & vigorem habent in Λόγῳ, ſine qvo in nihilum redigerentur, non ſicut Accidens in ſubjecto, ſed qvia Λόγος Natura & eſſentiâ ſicut Pater, eſt Vita, dans omnibus vitam.

XX. Hinc Chriſtus duplici ratione dicitur Vita. I. οὐσιωδῶς, qvia eſt reſurrectio & Vita Joh. 11. v. 25. & 14. v. 6. Verbum vitæ, 1. Joh. 1. v. 1. Auctor vitæ Act. 3. v. 15. &c. 2. ἐνεργητικῶς, qvia vitam & vigorem rebus omnibus impertit Col. 3. v. 4. Deut. 32. v. 39. Joh. 12. v 10. Pſal. 36. v. 10. &c. qvæ acceptio præcipuè hujus videtur loci, qvare etiam dicit Evangeliſta, non Λόγος erat Vita, ut ipſe infra de ſe in prima perſona loqvitur cap. 11. 15. & 14; 6. ſed in Λόγῳ erat vita.

XXI. Neq; tamen hinc efficitur, qvod Λόγος ſit Auctor ſive cauſa peccati, qvod peccatum eſt motus vel internus vel externus, pugnans cum lege Dei; qvum diſcernendum heic ſit, inter motum ordinarium, qvi eſt à Deo, & motum aberrantem ab ordine Divino, qvi eſt liberæ voluntatis. Deinde qvia Filius Dei conſervat naturam, & modum agendi in natura ſuſtentat, vult ut naturalia naturaliter, & voluntaria voluntariè agant, alioqvin deſtrueret opus ſuum. Qvod igitur voluntariè agimus à Deo eſt; at qvod abutimur hac poteſtate à Diabolo & nobis ipſis eſt, juxta illud Johannis 5. v. 41. & 44. Et hinc, qvod Diabolus & homines peccare poſint, à Deo eſt; at qvod peccent, ab illis ipſis eſt: ſicut hoc obſervavit Hemmingius ad hæc verba.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

XXII. Altera v. qvæ hanc excipit Propoſitio, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων videtur Hemmingio, & qvidem non injuria, potiſſimum referenda eſſe ad homines primos ante lapſum, qvi vitâ & luce ſingulari Filij Dei vixerunt, originali Juſtitia ornati, & clara Dei notitia illuminati: unde etiam hæc vita vocatur ἡ ζωὴ & hæc lux τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, ut ita per vitam intelligatur ſpiraculum Vitarum & per lucem imago & ſimilitudo Dei, qvæ lucebat in primo homine vi Vitæ & Lucis eſſentialis Λόγου.

XXIII. Nam ut Λόγος dupliciter dicitur vita, ita ſimiliter duplici ratione Lux indigitatur, tum abſolutè ſibi, qvâ ratione Patri & Spiritui ſancto etiam Lux tribuitur 1. Joh. 1,5. tum relatè hominibus qvibus per Creationem erat Vita & Lux ſingulariter, & per qvem vicisſim recuperatur vita & lux amiſſa unicè. Eſa. 42.7. & 49.6. Joh. 8.12. & 12. 46. Act. 13 47.

XXIV. Qvanqvam v. hæc ita ſimplicisſimè ſe habere videantur, non deſunt tamen qvi, analogia fidei non repugnante, ambas has Propoſitiones referendas cenſent ad tempus, qvo in carne Chriſtus vixit & converſatus eſt, ac ſermonem heic eſſe de ea vita & luce, qvam Chriſtus hominibus, qvi ipſi poſt lapſum fidem habent, largitur; imprimis cum de tali luce & vita ſermo ſit Johanni in ſeqventibus. Unde Lutherus, Erat, qvod heic occurrit, refert ad tempus vitæ Chriſti & converſationis, qvam in mundo habuit cum hominibus: ut ita propriiſſimè dictum ſit, in ipſo vita erat, non eſt, nõ qvod jam non exiſtat vita noſtra, ſed qvod modò non faciat, qvæ tunc propter nos vivificandos, & ſalvandos faciebat & gerebat, qvibus omnia perfecta ſunt, qvæ de ipſo oportet credere ad conſeqvendã vitam æternam Joh. 20. v. 31.

XXV. Alii a. obſervant Erat illud duo ſignificare, tum æternam Dei diſpoſitionem & voluntatem, de qva Paulus II. Timoth. 1. v. 9. & Eph. 1. v. 4. tum etiam hominibus datam eſſe vitam à Mundi principio, etiam ante Carnem aſſumptam á Λόγῳ juxta dicta 1. Cor. 10. v. 4. Apoc. 13. v. 8.

XXVI. Hiſce expeditis progreditur Apoſtolus ad Λόγον conſideratum ratione conſervationis hominum, in ſtatu poſt lapſum Reſti-

tu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

tutionis & qvidem ratione temporis tam ante incarnationem in Vet. Teſt. qvam Incarnationis in Nov. Teſtam.

XXVII. Qvò ad Vetus Teſtamentum & tempus ante manifeſtatum Λόγον in carne itidem duas adducit v. 5. Propoſitiones, Priorem qvidem illam: καὶ τὸ φῶς ἐν τῆ σκοτία φάνει. Poſteriorem v. hanc: καὶ ἡ σκοτία ἀυτὸ ȣ̓ κατέλαβεν; qvibus videtur Evangeliſta reſpicere ad ſtatum hominum poſt lapſum, in qvo remanſit, non modo aliqva lux i. e. notitia de Deo naturalis, qvæ tanqvam radius qvidā lucis Filii Dei in tenebris lucet hominibus, jam tenebris factis propter transgreſſionem, amiſſâ luce, qvâ lucebant ante lapſum, per qvam tamen non adducti ſunt ad ſalutarem Dei cognitionem, de qva luce agit Apoſtolus Rom. 1. v. 19. ſeq. Eph. 4. v. 17, 15. ſed & in Vet. Teſt. lucebat lux μεσιτευτικὴ ſtatim poſt lapſum in Verbo Promiſsionis, &c, qvidem in tenebris, dum multis erat veluti inanis ſonus, hominesq; maxima ex parte manſerunt tenebræ, & lucem Promiſsionis non comprehenderunt, paucis ante diluvium, & poſt diluvium pauciſſimis, in tanta multitudine ex iſtis tenebris eluctantibus & Verbo promiſsionis fidem adhibentibus.

XXVIII. Hinc per lucem heic principaliter intelligimus lucem μεσιτευτικὴν & Meſſiam ipſum, qvi, ut manifeſtandus ſuo tempore in carne ad redimendum & reſtituendum Genus humanum, lucebat ſtatim poſt lapſum totoq; Tempore Vet. Teſt. qvo etiam ante incarnationem, officiū Mediatoris & Salvatoris exercuit, per qvod ſalvati ſunt omnes homines, qvi ab initio mundi ſalvati ſunt, comprehenſâ ſc. hac luce fide ſalvificâ. Hebr. 11.

XXIX. Sic luxit lux illa Gratiæ, qvæ hominibus præter & ſupra naturalem illam rationem advenit, Protoplaſtis in prima Promiſſione de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis Geneſ. 3, 15. ac ſacrificijs Gen. 4, 3 4, 5. Et per Adamum ad poſteros ejus ordine usq; ad Noachum toti primo Mundo ante diluvium Gen. 5. Poſt diluvium ſimiliter luxit toti Mundo in familia Nōachi, donec tandem Abraham accepit Promiſſionem, qvod in ſemine ejus (Chriſto, qvi ex Abrahamo ſecundum Carnem Matth. 1. 1. Heb. 2, 16. cujus diē vidit ille & gaviſus eſt Joh. 8. 56.) benedicerentur omnes gentes Gen. 12. v. 3. & 18, 18. & 22, 18. Act. 3. 15. Gal. 3. 8. 16. 17. Qvam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Promiſſionem ipſe cum poſteris Iſaacho & Jacobo, qvibus & eadem facta eſt; illi qvidem Gen. 26. 4. Huic v. Gen. 28. 14. longè lateq; propagavit.

XXX. Tandem autem in Lege & Prophetis ductæ ſunt primæ lineæ qvaſi vivorum & viſibilium colorum omnium fermè Chriſti Myſteriorum, qva de re diducte diſſerit Apoſtolus ad Heb. facta etiam ad extremum Promiſſione Davidi 2 Sam. 7. 13. Sed lucebat lux illa interea temporis in maximis tenebris umbrarum & figurarum, peccatoribus, & mundo originalis delicti caligine obſito, cœcis ſc. & gratiam oblatã contemnentibus hominibus, habẽtibus mẽtem peccatis obtenebratam, qvorum maxima pars reſiſtentes Spiritui ſancto eam non comprehendebant, aut colebant per fidem uti decebat: unde propriâ voluntate & malitiâ manſerunt tales tenebræ, neq; à Luce illa illuminabantur, dum oblatam Lucem recipere noluerunt, Chriſto interim manente Luce, lucente in ejusmodi tenebris, omnesq; prorſus homines illuminare volente Matth. 13 v. 17.

XXXI. Homines igitur heic dicuntur tenebræ, qvod lapſum Adami qvatuor ſpecies tenebrarum ſint inſeqvutæ: Tenebræ ſc. mentis, qvibus innuitur ignorantiâ Pſal. 82, v. 5. Eſa. 5, 20. & 9 2. & 60. 1. Matth. 4. 16. Joh. 12. 35. Eph. 4. 18. & 5. 8. Et tenebræ cordis, qvod vitiis circumſeptum eſt, qvæ dicuntur opera tenebrarum Rom. 13. 12 Tenebræ afflictionis, per qvas intelliguntur calamitates II. Sam. 22. 19. Job 17. 12. & 30. 26. Pſalm 55. 6. & miſeriæ hujus vitæ, in qvas per lapſum incidimus Eſa. 5. 30. Thren. 3. 2, Joel 2. 2. &c. Et tandem Tenebræ damnationis, qvæ vocantur Exteriores Matth. 8. 12. & 22. 13. & 25. 30. Qvæ omnia & ſingula non immeritò dicuntur tenebræ, cum ſeparent nos à Deo Deiq; Filio vero Juſtitiæ ſole; mentem obſuſcent erroribus, cor faciant ut ad bona opera frigeat, tandẽq; mœrorem, angorem & cruciatus excitent.

XXXII. Inepta igitur & ridicula eſt horum verborum ſubtilis illa interpretatio Cajetani, qvi per tenebras heic loci intelligit res ſenſibiles, lumine rationis carentes; per Lucem verò res Divinas, qvas res ſenſibiles non comprehendunt, qvod non poſſint ſenſitivæ potentiæ cognitionem rerum intelligibilium attingere: qvum hac ratione potius dixiſſet Evangeliſta, non valuerunt comprehendere,

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

præter qvam qvod res ſenſibiles non aptè vocentur tenebræ, & heic de rebus Divinioribus ſit ſermo.

XXXIII. Neq; etiam rectè per tenebras Dæmones heic intelliguntur, qvia etſi illis etiam illuxerit Λόγος ante lapſum, poſtqvam tamen libera voluntate facti ſunt tenebræ, & Lucis hoſtes capitales, illos non amplius illuminat, nec poſſunt, etiamſi maximè vellent Lucem comprehendere, qvum ſint ſub caligine reſervati vinculis æternis in Judicium magni illius diei. Jud. v. 6.

XXXIV. Niſi qvis κατέλαβεν heic exponere voluerit per occupare ſeu vincere, totamq; ſententiam accipere de Chriſto manifeſtato in carne, ut ſenſus ſit: Chriſtum in ipſis tenebris i. e. inter ipſas qvodammodo Diaboli & Hoſtium ſuorum manus, magis illuxiſſe, magisq; ejus emicuiſſe virtutem, nec tamen ab illis comprehendi ſeu vinci potuiſſe, qvum manſerit victor Diaboli & omnium hoſtium ſuorum Joh. 14. 30. Qvæ Gregorij Nazianzeni interpretatio paulò videtur violentior, ſicut & Theophilacti, poſt Chryſoſtomũ, qvi intelligit per tenebras mortem & errores, qvaſi ſenſus horum verborum hic eſſet, qvod Chriſtus in morte ſua illuxerit, mortem & ſuam & noſtram deſtruendo; tenebræ autem mortis eum non comprehẽderint i. e. ſuperaverint, & qvod in mediis errorũ tenebris Lux Evangelii & Verbi effulſerit, omnes Ethnicorum errores omniaq; idola profligaverit, tenebræ autem errorum eam non comprehenderint i. e. vincere aut extingvere potuerint.

XXXV. Alii per Lucem Chriſtum intelligunt; tenebras a. exponunt, vel de animâ & natura noſtra, qvæ qvantumcunq; illuminetur, qvantumve illi Chriſtus luceat, tamen comprehendere eum nõ poteſt, ſed ſemper in comparatione cum illo, tenebræ manet: vel de peccatis qvæ illum non potuerunt comprehendere, qvia peccatum non fecit. I. Pet. 2, 22.

XXXVI. Nonnulli Lucem, Chriſti Divinitatem exponunt; tenebras interpretantur vel de Carne in qva luxit Divinitas, qvæ tamen eam offuſcare non potuit; Vel de rebus univerſis in qvibus luxerit, qvæ tamen eam inqvinare non potuerunt. Et qvanqvam ex illis cognoſci potuiſſet Rom. 1. 19. 20. Sap. 13. 5; Homines tamen irregeniti, qvi tenebræ erant, eam non cognoverunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

XXXVII. Plures hujus farinæ interpretationes qvi deſiderant, poterunt conſulere Commentatores Pontificios, Franciſcum Brugenſem, Jenſenium, Ferum, Adamum Conzen, Cornelium à Lapide, Maldonatum, Baradium, Alphonſum Salmaronem, Tolletum & alios in hæc verba: qvi magnam ſegetem talium expoſitionum ex Patribus & aliis afferunt, qvibus tamen omnibus & ſingulis non qvidem prorſus falſis, aut cum analogia Fidei ex adverſa fronte pugnantibus, ſed minus appoſitis, impeditis, nimis longè petitis, & à Johannis ſcopo longius recedentibus, noſtra præferenda cēſetur, de Luce Meſsiæ lucente etiam ante incarnationem, ſtatim poſt lapſum in Veteri Teſt. in tenebris, hominibus per peccatum obtenebratis, qvi in qvantum ſunt tenebræ, increduli, ſpernentes conſiliū Dei, non comprehendunt lucem, neq; per incluſionem, qvâ ratione à nulla Creatura, neq; per apertam viſionem qva à Beatis in altera vita I. Cor. 13. v. 12. neq; per Fidei veræ & vivæ comprehenſionem, qva à credentibus in hac vita comprehenditur, qvi tali medio talem Lucem recipiunt, & ab illa illuminantur.

XXXVIII. Utut igitur hæc lux luxerit ita omnibus à primo lapſu in Vet. Teſt. non omnes tamen ab illâ illuminati ſunt, ſed maxima pars manſerunt tenebræ propria ſua malitiâ, non ſecus ac Sol lucet omnibus, ſed tamen illô non illuminantur cæcorum oculi, aliæve res ſive naturâ, ſive impedimento ad recipiendam lucem ſolis inhabiles. Unde Auguſtinus: qvemadmodum, inqvit, homo poſitus in ſole cæcus, præſens eſt illi ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt: ſic omnis ſtultus, omnis iniqvus, omnis impius cæcus eſt in corde, præſens eſt illi ſapientia, ſed qvum cæco præſens ſit, oculis ejus abſens eſt, non qvia ipſa illi abſens eſt, ſed qvia ipſe ab illa abſens eſt.

XXXIX. Neq; tamen ex eo qvod homo exiſtat tenebræ ex ſe, poſſitq; lucem affulgentem repudiare, ſeqvitur, qvod eandem admittere & recipere ex ſe poſſit, qvum homo poſt lapſum pariter ſe non habeat ad utrumq; extremum, id qvod patet tum ex illis dictis, in qvibus derogatur homini tota hæc facultas, qvippe cujus natura peccato originali prorſus eſt corrupta Joh. 3 6. Rom. 3. 9. Intellectus cæcus I. Cor. 2. 14. Eph. 4 18. voluntas averſa Eph. 2. 3. adeo ut nihil boni ex nobis tanquam ex nobis poſsimus cogitare. II. Cor. 3. 5.

tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

tum' ex hiſce in qvibus ſoli Deo converſio noſtra aſſcribitur Ezech. 11. 19. & 36. 26.

XL. Progreſſum autem facturus Johannes à Vet. Teſtam. ad Novum, qvod & qvomodo Filius Dei, juxta promiſſiones in carne manifeſtatus, opus Redemptionis perfecerit, proponit hoc ſuo prooemio talis inchoatæ manifeſtationis προϑεσιν præmiſſam, tum de Johanne Præcuſſore, tum de ipſo Λόγῳ incarnato; cujus ἔκθεσις ulterius præparatoria exponitur in ſeqventibus hujus Capitis ad finem.

XLI. De Johanne v. Baptiſta, qvi ſicut vox verbum, & Lucifer Solem præcedit, præceſſit Chriſtum Salvatorem, acturus Johannes Evangeliſta, deſcribit ejus tum Perſonam tum Officium.

XLII. Perſonã qvidẽ hiſce v. 6. verbis: ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. Ad qvæ Verba primo annotavit Cyrillus Evangeliſtam, dum de Λόγῳ loqvitur, uſum eſſe Verbo ſubſtantivο ἦν; dum v. de Johanne agit, verbo ἐγένετο, qvod qvanqvam pro ſubſtantivo aliqvando ſumatur, ſignificat tamen ut plurimum ejus rei, cui tribuitur factionem. Qvanqvam Chryſoſtomus exiſtimet hoc Verbum heic loci non ſignificare factum eſſe, de eo qvod non fuit, ſed cum voce ἀπεσταλμένος conjungendum hoc modo: fuit miſſus vel factus eſt miſſus.

XLIII. Alij volunt hoc Verbo indicari Johannis officium ad horam fuiſſe & ita ceſſaſſe, ad modum Luciferi permanentis ad Solis exortum, & vocis, verbum ad audientem deferentis ac ita ceſſantis; unde de Chriſto & ſe dicit ipſe Johannes Baptiſta cap. 3. v. 30. illum oportet creſcere, me v. imminui.

XLIV. 2. Vocat Evangeliſta Johannem ἄνθρωπον ſine articulo, ut ſciamus illum purum fuiſſe hominem, non autem vel Chriſtũ, ipſo humiliter id fatente Joh. 1 20, vel Angelum, ratione perſonæ & naturæ, qvi aſſumpto corpore, qvo anima fuit antiqvior, teſtimonium de Chriſto perhiberet; ut docuit Origenes, qvum fuerit filius Zachariæ & Elizabetæ Luc. 1. qvamvis rectê Angelus ab officio vocetur Malach. 3. v. 1.

XLV. Fuit igitur Johannes Homo, non terribilis Angelus habens naturalem convenientiam ad populum, ad qvem mittebatur, & ad Chriſtum, ac ita participans cum utriſq;, aptus erat, ut eſſet via Chriſti ad populum & populi ad Chriſtum juxta Prophetias Eſa. 40. 3. Malach. 3. 1.

XLVI. Ta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

XLVI. Talem hominem Evangeliſta ἀπεςαλμένον vocat παρὰ Θεοῦ tanqvam Apoſtolum Apoſtolorum, non ab aliqvo loco, in qvo fuerat Johannes Angelus: vel anima etiam ejus anteqvam in hunc mundum veniret, ut exiſtimavit Origenes; ſed qvod non ſe ingeſſerit, aut proprio ſuo arbitratu ſumpſerit ſibi authoritatem docendi, verum miſſus fuerit â Deo Rom. 10. 15. ſupra naturæ modum Parētibus ſenibus & ſterilibus datus, habens divinam eamq; immediatā vocationem, ac inſtitutus ſingulariter à tali Domino Joh. 1. 33. talis & tantus Nuncius annunciaturus rem adeo utilem, ac ſalutarem, eamq; tam diu expectatam & expetitam Luc. 10. 24. Chriſtum nempe omnium Salvatorem; cujus etiam Præcurſor immediatus fuit, qvi expectavit ut videret Chriſtum, qvem alterius ſeculi hominibus annunciaret, & monſtraret, qvæ felicitas Prophetis in Vet. Teſt. nō contigit, qvi etiam dicebantur mitti, ſicut & Apoſtoli poſt illos, qvando ijs injungebatur, ut qvę à Deo edocti erant, populis annunciarent.

XLVII. Miſſus igitur venit Johannes à Deo primum in uterum Matris Luc. 1. v. 24. Deinde in mundum, v. 57. inde in deſertum, ubi ab infantia vixit, v. 80. & tandem potiſſimum in Judæam, ut prædicaret ac baptizaret Luc. 3, 2, 3. Matth. 2, 1.

XLVIII. Qvemadmodum a. Johannes ultro non venit, ſed à Deo miſſus eſt, ita Evangelium de Luce Chriſto non venit ex ſe, neq; ab humano ingenio, ſed neceſſe eſt, ut Deus illud mittat per verbi ſui auditum Matth. 11, 25, 27. Joh 1, 18. I. Cor. 2, 6. 7. ſeq. Eph. 3. 9. Ut propterea humanæ traditiones heic nihil valeant. Qvicqvid enim homines docent, illud hanc Lucem, qvæ Chriſtus eſt, nunqvam oſtendit, imò impedit potius: Qvod v. Chriſtum oſtendit, id eſt à Deo veriſsimè; obſervante Luthero in Poſtilla Eccleſiaſtica ad hæc verba.

XLIX. Tandem meminit Evangeliſta nominis hujus Legati dicendo: ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης, qvod nomen ipſi non ab hominibus datum, ſed à Deo ipſo per Angelum impoſitum, etiam ante conceptionem Luc. 1. 3. deſcendens à חָנַן & יָה gratia affecit, gratioſus fuit, ſignificat gratiam & favorem Dei, qva non modo ipſe gratioſè à Deo datus parentibus, plenus erat ab utero gratiâ ſc. datâ ipſi in

miſſio-

miſſione Dei,aptum & idoneum ipſum facientis ad munus, qvod obire debebat, 2. Cor. 3. 6. Sed & illum qvi gratiæ auctor eſt, prædicare veniebat,annunciaturus ſc. ceſſationem maledictionis Legis Moſaicæ, qvæ jugum erat,qvod portari non potuit Act. 15. 10. Gal. 5. 1 & gratiam Evangelij,qvæ jugum Chriſti ſvave eſt, Matth. 11. 29. 30. ac oſtenſurus Chriſtum, Agnum mundi peccata tollentem, Joh. 1 29. 32. & miſericordiam præſtantem, de cujus plenitudine derivari in genus humanum gratia debebat, Joh. 1. 16. Qvæ etiam prædicatio Evangelij nullis noſtris meritis,ſed ex gratia & favore Dei contingit, nihil aliud qvam gratiam & favorem Dei producens, Actor. 20. 24.

L. Officium verò Johannis Baptiſtæ qvod concernit,illud deſcribitur ſeqventibus verbis v. 7 οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτὸς, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ.

LI. Qvanqvam enim omnes Prophetæ in Vet. Teſtam. teſtimonium perhibuerint Chriſto Meſſiæ, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes,qvi credunt in eum,teſte Petro Act. 10. v. 41. Hiſce tamen omnibus teſtimonio ſuo antecellit Johannes, qvô inter Novi Teſt. Patres nullus neq; prius,neq; excellentius teſtatur de Luce (i.e. Chriſto Meſſia) non venturâ,ſed qvæ jam venerat, dum dicit, Ecce Agnus Dei qvi tollit peccata mundi, inf. v. 29. 36.

LII. Erat autem hic Teſtis inſtructus omnibus reqviſitis teſtis fide digni: Scientia ſc. Divinâ Luc. 3, 2. Joh. 1. 33. exiſtens Propheta Domini, imò plusqvam Propheta Matth. 11. 9. Fidelitate, qvandoqvidem pro Veritate, qvam liberè Herodi loqvebatur, dum ipſum arguebat, mortem ſubijt Matth. 14. 4. Marc. 6 17. Luc. 3. 19. Vitiaq; Phariſæorum & Scribarum eâdem conſtantiâ reprehendit, Matth. 3. 7. ſeq. ac tandem Authoritate, qvæ tanta fuit apud omnes Judæos, ut non ſolum habuerint illum pro Propheta Matth. 14 5. & 21. 26. ſed & pro Chriſto ipſo, infra v. 19. Luc. 3 15.

LIII. Hoc autem Teſtimonio Chriſtus propter ſeipſum non egebat, qvi Sol eſt Eccleſiæ clariſſimus & lucidiſſimus Eſa. 60. 20. Malach. 3. 20. qviq; Teſtimonium ab hominibus non accipit, Joh 5 34. Neq; neceſſarium illud fuit, qvaſi Chriſti Teſtimonium de ſeipſo minimè ſuffeciſſet, niſi Johannis teſtimonium acceſſiſſet; operibus Chriſti exiſtentibus ſufficientiſſimo teſtimonio ad pro-

bandum ipſum eſſe Filium Dei & Meſſiam, Joh. 5,36. & 10,25. & 14.
11. & 15. 24: ſed propter cœcos & credere nolentes homines, ac inprimis Judæos,indigere hoc teſtimonio voluit, neceſſariumq; fuit Joh. 5. 34 qvia prædictum erat talem teſtem præceſſurum Chriſtũ. Eſa. 40. 3. Malach. 3. 1. 23. 24. Matth. 11. 14. & 17. 11.12. 13.

LIV. Qvum enim primus Chriſti adventus in paupertate & abjectione,non in ſplendore & Majeſtate fuerit,qvod Zach. 9. 9. prædictum erat; exinanitio verò illa, & humiliatio,humilisq; ſtatus Chriſti,occaſio fuit mundo & Judæis non agnoſcendi illum pro Meſſia: ideò illud prævidens Deus voluit eos,non tantum per Prophetas & ſcripturam, longo tempore prius,hujus humilitatis præmonere Eſa. 53. 2. 3. cujus etiam propterea multas deſcripſit circumſtantias: ſed & teſtem qvendam maximum inter genitos è mulieribus Matth 11, 11 ex gente Judæorũ ac numero eorum qvi credituri erant,ab ipſo autem Domino antea prædictum, qvi ſua voce & digito Chriſtum ſignaret,adhibuit, qvò Teſtimoniorum eſſet abundantia ut alij ob unum,alij ob aliud crederent, nullamq; homines conqverendi vel ſe excuſandi cauſam haberent.

LV. Et qvod ita Johannis promiſſi & miſſi à Deo, ac venientis propterea teſtimonio Chriſtus ſui cauſâ non indiguerit: ſed reſpectu noſtri opus fuerit tali teſtimonio,haud obſcurè indicat Evãgeliſta,ſubjungendo ejusdem finem,qvi fuit hic, ut omnes crederent per illum: in qvo fine verba δι' αὐτοῦ nonnulli referunt ad Lucem ipſam, ut omnes crederent per ipſam, non autem per Johannem, qvi fidem dare non poterat: à qva phraſi neq; abhorruit Petrus 1 Epiſt. 1. 21. & qvod Johannes non venerat ut omnes, ſed ſoli Judæi, qvibus prædicaturus erat,per eum crederent: qvum tamen magis ad rem faciat,ut δι' αὐτοῦ ad Johannem ejusq; Teſtimonium ac miniſterium,de qvo heic ſermo eſt referatur præcipuè, qui qvanqvam ſolis Judæis,non ſecus ac Chriſtus ordinariè, prædicavit, qvod Judæis promiſſus fuerat Meſsias, & ad illos miſſus Matth 15. 24. per qvos aliæ Gentes erant crediturae ad ſalutem Joh. 4. 22.: voluit tàmen ut omnes ſuo Teſtimonio in Chriſtum crederent,qvamvis nõ omnes,ne qvidem Judæi,ſuâ culpâ crediderint,unde etiam teſtaturus dicit: Ecce Agnus Dei qvi tollit peccata (non Judæorum) ſed

Mundi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Mundi v. 29.36. ut taceamus noſtrum Evangeliſtam, ubi Chriſtum intelligit Verbo credendi addere Præpoſitionem εἰς, ἐπὶ, aut ἐν, non διά.

LVI. Et hanc ſententiam confirmat Nonnus, qvi habet heic, per unicam præconij vocem, ſicut & Syriaca interpretatio, qvæ ſignificanter heic loquitur, dum inqvit באידה ut per manũ ejus, i.e. præconium de Chriſti Perſona & officio, fidem in eum conciperent & ſervarentur. inf. 5.34. qva ratione hoc ſingulare teſtimonium Baptiſtæ & Apoſtolorum Act. 1.8. ſicut & periculari inſtructione, qva continetur ſumma & argumentum illius Teſtimonij, quod Chriſto perhibere debebat, prædicando pœnitentiam & remiſſionem peccatorum ejus nomine Luc. 24.47. à Communi & vulgari aliorum teſtificatione veritatis in rebus qvibuscunq; dubiis heic diſtinguitur, conferantur loca. infra 17. v. 70. Rom. 10.17. I. Cor. 3.5.

LVII. Qvum v. maxima pars Judæorum, videntes ſingularem Johannis Baptiſtæ victum & amictum, Matth. 2 4. Marc. 1 6. totiusq; vitæ ſanctitatem & morum gravitatem, Matth. 11.18. habuerunt ipſum pro Meſſia, Luc. 3.15. atq; ita Jeſu vel præferebant vel æqvabãt, infra v. 19: Qvo hanc præconceptam opinionem ex eorum animis averruncaret Johannes Evangeliſta, & nè qvis putaret Johannem Chriſto majorem, qvod teſtimonium de eo perhiberet, amplificat hoc officium Baptiſtæ per ἄρσιν ad θέσιν, oſtendens differentiam inter Dominum & Miniſtrum, dum dicit v. 8: οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς ἀλλ᾽ ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτὸς (ſc. ἦλθε ſeu ἐγένετο ἀπεσταλμένος) qvibus verbis non negatur, Johannem fuiſſe talem lucem, qvales dicuntur Apoſtoli, Matth. 5. v. 14. & Chriſtiani regenerati, Eph. 5.8. ſc. participatione ſive per gratiam ac ita illuminatam ac illuminantem docendo & vivendo tantum, lucem nempe Mundi inter mundanos Matth. 5.14.15.36. & lucem in Domino per participationem & gratiam Eph. 5.6. ſed denegatur Johanni Lux ſubſtantialis, increata, immenſa, qvæ ſuâ naturâ eſt lux, & qvidem illuminãs creando novam lucem in hominibus. Tale enim τὸ φῶς unicè erat Λόγος & Meſſias, deqva Luce ſermo fuit Apoſtolo in præcedentibus, ſicut & proximè etiam ſeqventibus, qvæ ubiq; τὸ φῶς cum Articulo vocatur.

LVIII. Erat igitur Johannes Lucerna ardens & lucens Joh. 5. 35. ſed ardore & luce ipſius Lucis Meſſiæ, atq; ita minus qvid qvàm lux ipſa: inter qvem & Chriſtum hoc erat diſcriminis, imo majus etiam, qvod inter Solem, à ſeipſo, & Lunã, non niſi ex Sole, lumen habentẽ: qvod inter Montẽ, qvi Solis radijs primus illuſtrari incipit, in qvo, qvi oculis ſunt ſaucijs Solis lumen cernere poſſunt, & inter lumen Solis in ſole ipſo oriente, qvod tales oculi non admittunt: imò qvod inter Dominum & Servum: Regem & Regis Præconem: Sponſam & amicum Sponſi: Lucem & præviam qvandum Lucis emicationem ſeu Auroram.

LIX. Hac occaſione digreditur Evangeliſta, vel potius regreditur ad Meſſiæ contemplationem; etiam ante incarnationem, primò Generaliter dicendo v. 9. ἦν (ſc. Λόγος juxta contextum: Qvanqvam Ambroſius hoc tribuat Patri, & Georgius Nazianzenus toti Trinitati, qvod illuminatio ſit opus ad extra commune tribus Perſonis) τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον; vocans ita Λόγον τὸ Φῶς τὸ ἀληθινον in ſe, per ſe, & ſuâ naturâ ſeu eſſentia, non participatione, gratiâ & beneficio alterius, præ qva Luce omnes homines tenebræ ſunt Eph. 5. v. 8. & mendacium Pſalm 115. v. 11 Rom. 3. 4. catenus tantum lucentes & veraces, qvatenus de luce hac verâ aliqvid participant, qvæ lux origo, cauſa & fons eſt omnis ſplendoris, tota fulgens, tota ſplendens.

LX. Qvanqvam autem verum opponatur aliqvando falſo & mẽdacio Eph. 4. 25. aliqvando figuræ & typo Joh. 1. 17. 1. Cor. 5, 8. aliqvando ei qvod non eſt per ſe & naturale 1. Joh 5. 20, infra. 16. Et qvanqvam Chriſtus ſit vera Lux, nõ falſa aut mendax, qvalis Philoſophorum illa naturæ ſeu rationis Lux, qvam ſe habere jactitant, qvæ multis eſt erroribus mixta & mendacijs Jerem. 10, 14. & 51. 17. Rom. 1. 22. non etiam mendax & transfigurata lux, qvalis Dœmonum eſt, transfigurantium ſe in Angelum lucis, 2. Cor. 11. 14. & Hæreticorum, qvi cogitationes & ſomnia ſua ſcripturarum ſententiis colorare & illuſtrare conantur ad exemplum Diaboli, Matth 4. 6. nec typica aut figurata & umbratilis, poſt manifeſtationem in carne, qvalis illa fuit legis Moſaicæ, qvam Chriſtus, qvi Veritas eſt, implevit, & Prophetarum tenebras ſuſtulit; Videtur tamen qvòad li-

teram

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

teram Evangeliſta heic loqvi de vera Luce, ut opponitur derivatæ & creatæ Luci, luce ſc. per naturam & eſſentiam, qvum neget Johannem Lucem fuiſſe, qvi non fuit lux falſa aut typica; ſed tantum participata, & de hac Luce utatur verbo ἦν æternitatem indicante.

LXI. Dicitur autem Λόγος Lux, non qvod Pater & Spiritus ſanctus non ſint Lux, qvum lux abſolutè de Deo dicatur, 1. Joh. 1. 5. 1. Tim. 6. 16. & de Spiritu ſancto cantet Eccleſia: Veni lumen cordium; ſed qvemadmodum imago 2. Cor. 4. 4. Col. 1. 15. ſimilitudo & ſplendor Heb. 1. 3. Λόγῳ attribuuntur, & qvia per illum fit omnis manifeſtatio & illuminatio: id qvod inculcat porrò Evangeliſta, dum dicit Officii Meſſiæ actionum finem fuiſſe, illuminare omnem hominem (& ſic etiam Johannem qvi homo erat) ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον: Qvæ verba varii variè interpretantur. Sunt qvi ſtatuunt ἐρχόμενον recti Caſus eſſe, Generis Neutrius ac referendum, non ad ἄνθρωπον proximum ſubſtantivum, ſed ad remotius τὸ φῶς ſc., inprimis qvod non habeat Græcè præfixum Articulum τὸν, qvaſi hæc eſſet ſententia: τὸ φῶς ἐρχόμενον (per incarnationem) εἰς τὸν κόσμον, φωτίζει πάντα ἄνθρωπον: aliis contra contendentibus illud Accuſativi Caſus eſſe, & Generis Maſculini, ac reſpicere proximum ἄνθρωπον, qvæ etiam veriſimilior videtur opinio, propter Verbum ſubſtantivũ ἦν, qvod indicat ſermonem heic eſſe de Luce æterna & Λόγῳ æterno, qvi non tantum veniens in mundum per incarnationem; verum etiam anteqvam tali modo veniret, haud paucos hominum illuminavit, inde ab initio mundi; id qvod etiam ſeqventia evincunt.

LXII. Homo verò dicitur venire in mundum i. e. orbem terrarũ (non v. Eccleſiam ut Origenes vult, in qvâ ſignificatione vix occurrit illa vox in ſacris literis) non qvod anima humana ſit antiqvior corpore, Creata ſc. initio à Deo, atq; ita alicubi anteqvam in corpora venit: ſed qvod naſcatur & per nativitatem ingrediatur in mundum Joh. 18. v. 38. ac ita à non eſſe ad eſſe producatur.

LXIII. Tales autem homines ita venientes in mundum, poſt lapſum, deſtituuntur gloria Dei. Rom. 3. 23. ſunt tenebræ Eph. 5. 8. ſive ſedent in tenebris Matth. 4. 16. unde etiam egent illuminatione, qvam accipiunt à Luce Chriſto, qvi illuminat eos non tàm luce

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ſenſibili, beſtijs communi cum hominibus Gen. 1. 3. vel rationis ſeu intellectus agentis Matth. 6. 23. Luc. 11. 55. qvæ, de eſſentia hominis adhuc illuminandi exiſtens, & qvâ peccatores minimè ſunt deſtituti, non eò pervenit, ut Chriſtum oſtendat, qvanqvam & illa lumina à Chriſto Luce creata à Patre luminum ad nos deriventur; qvàm luce Gratiæ & Fidei, lumine ſc. ſupernaturali, homini viatori neceſſario ad promovendam ſuā ſalutem, de qvo Eph. 5. 14. Luc. 1. 29. in qvo lumine continetur bonus rationis naturalis uſus, dum illo veluti Duce & Præceptore homines proficiunt etiam facilius in ſcientijs, & artibus bonisque moribus, ſeu virtutum officijs: neq; hoc tantum, verum etiam in hoc lumine, ceu in ſemine, gloriæ lumen continetur, de qvo agitur Pſ. 56. 14. Col. 1. 12.

LXIV. Illuminat igitur hac luce Λόγος hominem & illuminavit ab initio, illuminabitq; ad ultimum finem mundi, ceu Deus verus, ſemper & ubiq; præſentiſſimus, qvi non mutatur Mal. 3. 6. idem hodie heri & in ſecula Heb. 13. 8. contra ignorantiæ tenebras, revelatione verbi, qvod eſt lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris Pſal. 119. 105. imo lychnus ſplendens in obſcuro loco. 2. Pet. 9. & illuſtratione Spiritus ad verā agnitionem Dei Joh. 12. 16: contra Peccati tenebras imputatione juſtitiæ, remiſſione peccatorum, & inchoatâ in hac vita renovatione: contra tenebras iræ Dei, Gratiâ, reconciliatione, & adoptione, faciem Dei ſupra nos illuſtrās. Num. 6. 15.: contra tenebras miſeriarum, conſolatione, mitigatione & liberatione; contra tenebras exteriores mortis & damnationis, vitâ & ſalute æternâ II. Tim. 1, 10. Qvæ beneficia illuminationis ſolius Chriſti propria ſunt.

LXV. Et tali ratione illuminat Λόγος omnem hominem, tum qvod niſi per Λόγον illuminetur nemo qvi illuminatur, tum qvod ad ipſum attinet, qvi & ſufficiens eſt, Deus ſc. infinitus, ad omnes illuminandum, & vult etiam voluntate ſeriâ antecedente, omnes illuminari; qvi autem non illuminati manent, à propria hoc participāt voluntate. Non verò hoc ſenſu dicitur illuminare omnem hominem, qvaſi ex abſoluto decreto, ex qvolibet hominum genere nonnullos illuminet, qvum hæc violenta interpretatio multum detrahat bonitati, miſericordiæ & gloriæ Dei ac Meſſiæ, qvi in ſcripturis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

celebratur noſtræ ſalutis ſitientiſſimus. Ezech. 18. 23. & 33. 11. I. Tim. 2. 4.

LXVI. Atq; ita non confirmat hoc dictum Anabaptiſtarum errorem, malè, ex conſilio & voluntate Dei, hominum obædientiam cōcludentium, dum ſtatuunt omnes homines etiam impijſſimos tandem ſalutem conſeqvuturos eſſe, contra manifeſta dicta ſcripturæ Matth. 7. 13. 14. & 25. 41; nec condemnat infantes credentium extinctos in utero matris, qvum loqvatur tantum de ordinario illuminationis modo, non excluſo modo extraordinario, qvo etiam Λόγος poteſt facere ſupra ea qvæ poſſumus cogitare aut petere, ſummâ cum exuperantiâ Eph. 3. 20.

LXVII. Hinc progreditur Evangeliſta & conſiderat Λόγον ſpecialiter, tum ante electum populum Judaicum in peculium: tum poſt etiam in Vet. Teſtamento.

LXVIII. De Λόγῳ ante electum populum Judaicum, per Promiſſionem factam Abrahamo Gen. 22. 18. tres ponit Propoſitiones ſeqventes v. 10, ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο; καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Qvas nonnulli referunt ad Λόγον factum carnem & natum ex Maria, qvi tamen erat Creator mundi, & ita verus Deus & verus Homo in unâ indiviſa Perſona, qvem homines in mundo ante annum ætatis trigeſimum talem non cognoverunt, agnitū nēpè, divina revelatione & ſuggeſtione, à paucis, Joſepho ſc., Matt. 1. 20. Mariâ matre, Luc. 1. 30. ſeq. Elizabetha v. 41. ſeq Zacharia v. 76. Simeone Luc. 2. 25. & Anna v. 36. Qvanqvam videantur commodius referri ad Λόγον ante incarnationem, in toto mundo, & qvidem tam ante, qvam poſt diluvium, usq; ad Electionem populi Judaici, qvod etiam & cum præcedentibus, qvæ de Luce ante incarnationem agunt, & ſeqventibus, in qvibus primùm de incarnatione Λόγου agitur, magis conſonare videtur.

LXIX. Sententia igitur horum verborum ſimpliciſſima hæc eſt, qvod licet Λόγος fuerit apud Patrem ante incarnationem, potuerit tamē, ceu lux vera, illuminare omnem venientem in hunc mundum, qvum etiam fuerit in mundo in ipſa creatione, & poſt perpetuò, non tantum tanqvam ejus conſervator, ſed principaliter, ut verus & unicus Μεσίτης ac Redemptor humani generis.

LXX, Erat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

LXX. Erat autem talis Λόγος in mundo non circumſcriptivè, ut corpora: nec definitivè, ut Angeli; ſed repletivè, ut verus Deus, qvi ubiq; eſt per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, Jerem. 23. 24. Pſ. 139. 7 8. Erat in mundo ſicut exemplar, in rebus ab ipſo exemplari productis, ſicut cauſa in effectis, idea in Ideatis: & qvemadmodum ars in artificialibus elucet, ita Deus & Λόγος in mundo, qvem fecit, qvem conſervat, qvem regit, qvem gubernat, omnibus rerum formis cooperando. Rom 1. 19 20 Nam Mundus per Λόγον factus eſt, etiam juxta priora v. 3. qvæ heic Evangeliſta plenius & planius explicat.

LXXI. Imo Λόγος erat ab origine mundi Μεσίτης generis humani Apoc. 13. 8. in qvo electi ſumus ante jacta mundi fundamenta Eph. 1. 4. Qvanqvam mundus i. e. homines, propter qvos mundus & omnia qvæ ſunt in mundo creata primitùs, ipſi autem propter Creatorem unicè, magis diligentes Creaturam, qvam Creatorem, illum non cognoverunt, qvem, tanqvam promiſſum protoplaſtis, facilè cognoſcere potuiſſent, ſi modo fidem iſti promiſſioni adhibuiſſent, & non ex alto eam ſpreviſſent.

LXXII. Mundus igitur i. e. Homines viventes in mundo & qvidem merè mundani, carnales, increduli, ac nō regeniti, non cognoſcunt Λόγον. Utut enim habeant tales etiam homines aliqvam cognitionem Dei, docente Apoſtolo Rom. 1. 19. 20. non habuerunt tamē unqvam, ſicut nec hodieq; habent talem ejus notitiam, qvam guſtus & amor ejus conſeqvitur, affectum ſc. cum effectu, ad cognitionem ſui Creatoris ac benefactoris, cum debita reverentia & ſubjectione, ſive receptione agniti Domini ſui: talem enim notitiam ex Idiotiſmo Hebræorum deſignat verbum ἔγνω, qvæ etiam vera eſt cognitio; conferantur loca Matth. 7. 23. infra. 10. 14. I. Joh. 3. 1.

LXXIII. Adhæc non cognoverunt, nec hodiè cognoſcunt tales Λόγον ſub ratione Λόγου, qvatenus eſt ſecunda Perſona Trinitatis, & unicus Mediator Dei & Hominum: qvum hæc cognitio ab origine mundi fuerit ſolorum fidelium, qvi promiſſionibus & verbo Dei fidem habuerunt: qvalium exiguus numerus admodum fuit in primo mundo, qvod, præter alia, ex pœna etiam, qvam Juſto judicio illi inflixit Deus, diluvio ſc., facile eſt colligere Gen. 6. 7.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

LXXIV. Neq; tamen ita ſolum erat Λόγος in mundo primo ante diluvium, & in toto etiam mundo poſt diluvium : ſed peculiariter venit ad populum Iſraëliticum, qvem adventum hiſce deſcribit Evangeliſta Verbis verſ. 11. εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν ὀ παρέλαβον

LXXV. Utut enim non deſint, qvi putant verba hæc intelligenda, vel de Chriſto in miniſterio ſuo poſt annum 30. ætatis, veniente ad Judæos, prædicando, miracula faciendo, per diſcipulos baptizando &c. qvem tamen Judæi non exceperunt : vel de Chriſto veniente per incarnationem εἰς τὰ ἴδια i. e. in mundum & τὰς ἰδίους i. e. homines non excepiſſe eum ; commodiſſimè tamen hæc accipi hoc loco videntur de populo Iſraëlitico in Veteri Teſt., qvum incarnatio demum ſeqvatur v. 14.

LXXVI. Is namq; populus erat peculium Dei præ omnibus aliis populis Exod. 19. v. 5. & populus peculiaris Deut. 7. 6. & 14. 2. item cap. 16. 18, ad qvem venit in Vet. Teſtaméto, ſuam præſentiam, ceu veri Dei, qvi nusqvam abeſt, ſigno ſingulari gratiæ manifeſtans. Pſ. 147. 19. 20. Exod. 20 21. 22. 23. Deut. 4. 6. 7 8. imo venit ad illos, ceu verus Meſsias, per Moſen, Aronem, Joſuam, & alios ſuos typos, ſicut & per ſacrificia, aliisq; innumeris modis Heb. 1. 1. qvi tamen populus non recepit eum, id qvod Hiſtoria Vet. Teſtamenti abundè teſtatur, & qva de re paſſim conqveritur Deus per Prophetas, Eſa. 1. 2. 3. & cap. 5. 4. Jerem. 2. 5. Ezech. 16. 15. Oſeæ 8. 14. Amos. 2. 6. & cap. 3. 1. Mich. 6 3. &c.

LXXVII. Mundus igitur & mundani οὐκ ἔγνω non cognoverunt Λόγον, ſed ἴδιοι ὀ παρέλαβον αὐτὸν non receperunt eum, & in juſto æſtimio habuerunt ; ut horum major, qvam illorum ingratitudo manifeſtaretur. Triſtis enim eſt cœcitas naturæ lapſæ, qvod naturalibus viribus rationis non poſſit Chriſtum agnoſcere; apud Judæos autem cœcitati huic adjuncta erat extrema malitia, qvod Spiritui ſancto tam contumaciter reſtiterint, volenti ipſos verbo dato peculiariter illuminare.

LXXTIII. Perinde autem ut hanc digreſſionem ſeu regreſſionem generaliter inchoavit Evangeliſta, ita ſimiliter eandem concludit, docens nullis temporibus Chriſtum Meſſiæ officium fruſtrà ſuſtinuiſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

nuiſſe, ſed ſemper inventos fuiſſe nonnullos, qvi, non contumaciter Spiritui ſancto reſiſtentes, ipſum acceperunt, atq; ita filij Dei adoptivi, per fidem in filium Dei naturalem, facti ſunt v. 12. hiſce verbis: *ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.*

LXXIX. Qvibus verbis oſtenditur divinæ miſericordiæ largitas in voce *ὅσοι*, qvotqvot, ſc. & ante & poſt diluvium, & ante & poſt electum populum Iſraeliticum, qvotqvot ſive Judæi, ſive gentes, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive liberi ſive ſervi; offertur namq; beneficium Chriſti omnibus, eſtq; Fides Catholica, dum ab ea nulla ætas, nulla natio, nullus ſexus, nulla conditio excluditur aut repellitur: Qvum non ſit perſonarum acceptor Deus, ſed in qvavis gente acceptus ei ſit qvivis, qvi eum timet & operam dat Juſtitiæ, Act. 10. 34. 35. Conferantur loca Rom. 10. 11. 12. Gal. 3. 28.

LXXX. Qvotqvot igitur *ἔλαβον αὐτὸν*, acceperunt illum, ita promiſſum tam mundo generaliter, qvàm populo Judaico ſpecialiter incarnandum, hodieq; accipiunt incarnatum, non reſiſtentes Spiritui ſancto contumaciter, ſed agnoſcentes illum pro vero Meſſia, & ſic credentes in nomen ejus. h. e. in ipſum juxta nomen, quod tribuit ipſi prædicatio Evangelij, ſeu in ipſum Filium Dei talem, qvalis nominatur in prædicatione Evangelij, tam V. qvàm Nov. Teſt., iis dedit poteſtatem filios Dei fieri.

LXXXI. Prædicatur verò Chriſtus in Evangelio, primùm verus Deus, unde fides confirmatur de ipſius divina potentia, ſecundò prædicatur verus Homo, unde amor ipſius erga conſortes ejusdem naturæ dignoſcitur. Tertio prædicatur unus Chriſtus, ſeu una perſona, unde inæſtimabile pretium omnium actionum in ipſius ſanctiſſima humanitate concluditur. Poſtremo prædicatur Servator, Rex, Mediator ſeu Sacerdos, qvi ſuâ victimâ ſatisfecit pro peccatis totius mundi.

LXXXII. Qvotqvot in tale nomen *Λόγου* credunt ac firmâ in illud fiduciâ recumbunt, ijs dedit *ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι*, i. e. honorem & libertatem filiorum Dei, ita ut & ſint filij Dei in Eccleſia militante, de qvâ heic, utpote in cujus ſtatu eſt fides propriè II. Cor. 5. v. 7. Heb. 11. 1. ex profeſſo loqvitur Evangeliſta, & manſuri ſint tales in

Ec-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Eccleſia triumphante, ubi conſeqvens complementum fidei, qvod ſperant tales, & ad qvod aſpirant, conſeqvuntur.

LXXXIII. Qvum enim verbum γενέσθαι aliqvando eſſe, aliqvando fieri ſignificat, & adoptio noſtra pro ſtatu militantis vel triumphantis Eccleſiæ conſiderari poſſit Gal. 3. 26. 1. Joh. 3. 2. Rom. 8. 23. Inde fit, ut alij de illo alij de hoc ſtatu dictum Evangeliſtæ intelligant. Hinc Hunnius: reſpicit, inqvit, Johannes, verbo fieri, ad conſummatum beneficium filiorum Dei in vita beata, ubi demum verè revelabuntur filij Dei, qvando nimirum credentes, ad hæreditatem cœleſtem re ipſâ poſſidendam vocabuntur, qvam nunc ſpe expectamus. Ratione hujus revelationis, qvæ demum futura in noviſſimo die dicuntur credentes habere poteſtatem filios Dei fieri: Res enim dicitur fieri, qvum incipit innoteſcere. Qvamdiu namq; hanc vitam agimus, nondum apparet nos eſſe filios Dei, dum ob multiplices ærumnas hujus vitæ, gloria illa filiorum Dei non eſt tam perſpicua.

LXXXIV. Significat autem ἐξουσία non tantum facultatem aliqvid, vel faciundi, vel acqvirendi, verum etiam dignitatem, præeminentiam, excellentiam, authoritatem & jus aliqvod, Matth. 7. 29. Apoc. 17. 12. Rom. 13. 1. unde Syrus eam vocem vertit per Saltam qvâ dignitas & præeminentia eorum connotatur, qvi dominationi alicui ſunt præfecti; ut propterea hujus vocis hoc in loco ſenſus non ſit, vel Chriſtum facere credentibus poteſtatem, ut ſi libuerit, viribus liberi arbitrii efficiantur filij Dei; ut volunt Pelagiani: vel nos per fidem accipere poteſtatem, ut fiamus filij Dei; per charitatem autẽ fieri, ut ſomniant Semipelagiani cum Pontificijs: ſed qvod illis, qvibus naturâ hoc jus non competebat, qvi ſervi peccati, & pœnæ ad mortem Rom. 6. 17. hoſtes Dei & mancipia Diaboli ac inferni, qvi naturâ filij iræ, Eph. 2. 3. qvod inqvam talibus, ſi Chriſtum accipiat, det gratis ſine ullo merito hanc præeminentiam, excellentiam, jus & dignitatem, ut credendo, non tantum in familiam ejus adſciſcantur, ſed adoptentur in filios Dei, ejusq; hæredes, ac filij cohæredes ad vitam æternam efficiantur. Rom. 8. 17.

LXXXV. Alij accipientes vocem ἐξουσίας in prima ſignificatione, ſtatuunt Evangeliſtam ita loqvutum eſſe ad diſtinctionem noſtræ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

filiationis per adoptionem, & unigeniti per generationem: noſtra enim poteſtatis liberæ & gratiæ eſt: illius naturæ proprietatis: noſtra filiatio gratis nobis data eſt à Λόγῳ; non autem illam habemus à nobiſmetipſis. Dedit ille, qvod habebat: accepimus v. nos, qvod naturâ non habuimus, ſolusq; ille dare nobis potuit, ut filij eſſemus Dei, qvi ſolus naturalis eſt filius.

LXXXVI. Hunnius heic obſervat diverſo reſpectu υἱοθεσίαν & ſimul eſſe cum fide, & eâdem poſterius qviddam, ita ut tempore ſint ſimul, dum qvam primùm homo incipiat credere, ſit filius Dei, ordine autem habeant ſe ſicut prius & poſterius, qvum fides in Chriſtum ſit cauſa adoptionis.

LXXXVII. Ut autem monſtret Evangeliſta non ex humana generatione, aut humano more modove, ſed Divina Generatione hanc υἱοθεσίαν & adoptionem in filios Dei perfici, ſimulq; indicet majorem hujus, qvàm illius dignitatem eſſe, illā κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν exponit v. 13. tali verborum formâ: οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. Qvâ antitheſi ſummatim nihil aliud dicitur, qvam ex homine non naſci credentes, ſed ex Deo, qvod celebre illud veteris Eccleſiæ dictum teſtatur: Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani.

LXXXVIII. Alias variè hujus antitheſεως prioris membri tria inciſa interpretantur varij. evi enim verba hæc propriè accipiunt, volunt primo inciſo contineri id, qvod eſt commune omni generationi, qvæ fit ex ſangvine, cujus potior pars eſt ſemẽ, ac pluraliter dici ἐξ αἱμάτων, qvia ad procreationem prolis mas & fœmina cõcurrunt: (niſi forte Hebraiſmus ſit, qvum Hebræi, ubi de uno tantum ſangvine ſermo eſt, דָּמִם dicant Exod. 22 2. 3. II. Reg. 9. v. 7. II. verò, qvod eſt proprium illegitimæ, & III. qvod eſt legitimæ generationis.

LXXXIX. Qvi vero impropriè illa accipiunda exiſtimant, non unam fovent ſententiam. Alij namq; per ſangvinem intelligunt dignitatem ſeu nobilitatem generis & majorum, ut Judæi, qvi ſuam originem jactabant, qvam ab Abrahamo longâ ſerie, & propagatione referebant; Per voluntatem carnis, inſtitutum ſive propoſitum plebeiorum: Per voluntatem v. viri, potentum. Alij per ſangvinẽ

natu-

naturam, per voluntatem electionem & liberum arbitrium hominum putant denotari: qvi aut ſecundum ſtatum & ordinem diſtincti ſunt, ut modo de plebeis & Heroibus dictum eſt, aut ſecundum ſexum, ut carnis voce fœmina; viri verò maritus intelligatur.

XC. Alij putant primo inciſo excludi renaſcendi illã vim, qvam Judæi, carnis ductum ſeqventes, olim ſe habere putabant per ſangvinem animalium in ſacrificijs fuſum atq; oblatum. Contra qvod Paulus Heb. 10. 4. Non poteſt ſangvis hircorum & taurorum peccata auferre. Secundo verò gloriam Judæorum, ſe ſemen Abrahæ & filios Iſrael jactantium, ſeq; ſolos à Deo dilectos putantium: reliqvos vero ut immundos ac deſpectos coram Deo, contemnentium; qvi ita ex voluntate carnis judicium ferebant non animadvertentes verum Iſraelitam ſolum eum eſſe, in qvo dolus non eſſet Joh. 1 47. Rom. 2. 29. Tertium verò propter Proſelytos additum, qvi non erant ſecundum carnem filij Abrahæ; fiebant autem & pertinebant ad populum illum judicio Sacerdotum, ad qvos pertinebat medijs ſangvinibus eos recipere, qvia oportebat eos circumcidi.

XCI. Alij primo inciſo excludunt generationem naturalem; ſecundo rejiciunt generationem eorum, qvi in carne gloriabantur, qvod eſſent filij Abrahæ: Tertio v. proſcribunt tum proſelytos, tum filios qvi à divitibus & principibus adoptabãtur, tum eos, qvos gentes ob inſignes virtutes ac ſapientiam in Heroum & filiorum Dei numerum recipiebant. Alij putant ultimum membrum duorum præcedentium explicationẽ continere, qvaſi qvod dixerat, non ex ſangvine, neq; ex voluntate carnis, i. e. non ex carne & ſangvine, explicaret Evangeliſta dicens, neq; ex voluntate viri, qvum vir nihil aliud ſit qvam caro & ſanguis, qvæ duo nomina qvando copulantur mortalem & fragilem hominis conditionem ſolent denotare Matth. 16. 17. I. Cor. 15. 50. Gal. 1. 16. Eph. 6. 12.

XCII. Nonnulli volunt ſanguinis filios vocari, qvi naturâ ſunt filij, ut Judæi Abrahæ: per voluntatem autem carnis intelligunt legalem ſucceſſionem & affinitatem, qvando juxta legem demortui fratris & propinqvi uxorẽ qvis ducebat ad excitandũ illi9 ſemen: ac per voluntatem viri nativitatem, qvæ eſt ex adoptione, dum ſibi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

qvis hæredem alienum in familiam & nomen adoptat ; ut ſit ſenſus : ſive qvis filius Abrahami fuerit naturâ, ſive affinitate, ſive adoptione, nihil tamen prodeſt: ex Deo ut naſcatur oportet.

XCIII. Nec deſunt qvi contendunt Evangeliſtam reſpicere ad praxin Judæorum de triplici nativitate carnali gloriantium: Qvarũ Prima erat ex ſangvinibus, qvod eſſent ex ſemine Abrahæ, ad qvẽ, originem ſuam, ordine longo Genealogiam contexentes, extendebant Joh. 8. 33. 39. Rom. 9. 6. 7. 8: Secunda erat voluntas propria carnis aut liberi arbitrij, qvâ putabant ſe, eſſe filios Dei, ſi modo externam Legis literam implerent. Luc. 18. Rom. 4. 1. Ebr. 9. 10. Tertia erat, qvâ ipſi majorum ſuorum & præſtantium virorum ordines & ordinum Regulas & Traditiones amplectentes, easq; ſummo conatu implere annitentes, filios Dei fore ſe arbitrabantur.

XCIV. Hemmingius v. hæc ita exponit : Non fiunt filij Dei ex ſangvinibus juxta communem legem naſcentium communi & naturali more, ex ſemine maris & fœminæ (notante Evangeliſta pluralitate ſanguinis & ſemen carnale , & reatum Rom. 5. v. 12. & Pſ. 51. 16.) neq; ex voluntate carnis ſeu propagationis, i.e. qvi prętendunt prærogativam carnis ſeu propagationis ex ſanctis parentibus ſecundum carnem Rom. 9. 8. neq; propter dignitatem, nobilitatem & merita. Homo enim & vir ita opponuntur Pſ. 49. 2, ut qvemadmodum homo humilem & obſcurum, ita vir magnum, antecellentem aliis ſapientiâ, potentiâ, juſtitiâ, & authoritate denotet. Unde Paulus Rom. 9. 16. non eſt volentis neq; currentis, ſcilicet ſecundum ſapientiam, potentiam, dignitatem, & merita extra Chriſtum.

XCV. Lutherus autem tam in Poſtilla Eccleſiaſtica pag. 166. qvàm Tomo I. Islebienſi fol. 426. videtur hanc approbare expoſitionem, ut ex ſangvine dicantur, qvi vel naturâ, vel affinitate ad familiam attinent: ex carnis voluntate cognati, alieni à ſangvine, ſicut adoptati: ex voluntate viri, ſpirituales pueri, ſicut diſcipuli Præceptoris ſunt, qvum viri nominentur in ſcripturis , qvi docendi officio funguntur; ita ut prima filiatio & paternitas ſit naturæ, ſecunda adoptionis & tertia honoris. Qvi tamen heic jus facit ſentiendi qvidvis cuivis, modo prorſus damnet naturam , cum perſpicacia ingenij, voluntatis arbitrio , omnibusq; qvæ ſunt extra fidem, ac attollat gratiam.

XCVI. Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

XCVI. Remotis, ita illis generationibus, qvibus filij Dei non generantur, ponit Evangeliſta veram generationẽ, dum dicit ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν; non dixit à Deo, qvaſi cauſa exteriùs movente: nec de Deo, qvia ejusmodi Præpoſitio materialem cauſam ut plurimũ includit, vel efficientiam ad conſubſtantialitatem denotat; ſed ex Deo nati ſunt, nempe per fidem: ita ut Deus ſit cauſa procreans filiorum Dei; qvum fides, per qvam credentes unicè ſunt filij Dei, Gal 3.26 ſit ipſius opus Joh. 6.29. & donum ſive χάρισμα Philip. 1.29 Regeneramur enim ex ſemine incorruptibili, per ſermonem Dei viventem & manentem in æternum. I. Pet. 1 & purificamur per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu ſancto; Tit. 3.5. Qvod propagationis genus ſolius Eccleſiæ Dei eſt, i.e. omnium qvi audiunt & amplectuntur Evangelium, ſeu recipiunt Chriſtum & credunt in nomen ejus. Iis enim ſolis confertur hic honor, ut ſint & vocentur filij Dei, ſiqvidem qvi credunt arcano qvodam modo naſcuntur filij Dei. Joh. 3. 8.

XCVII. Sed & heic obſervarunt Toletus & Baradius Athanaſiũ cum Tertulliano legiſſe hæc verba in ſingulari, hoc modo: Qvi non ex ſangvine, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt, ac ad Chriſtum retuliſſe, cui etiam congruunt ſimpliciter ſecundum divinam generationem, & ſecundum humanam etiam, ſi nomine ſangvinis intelligatur ſemen viri, qvum non ex ſemine viri, ſed ſangvine Virginis efformatum ſit ejus corpus, concepto ſc. eo non ex voluntate viri, ſed ex Spiritu ſancto, cui tamen lectioni, communis, non injuriâ, videtur præferenda.

XCVIII. Hac digreſſione ſeu regreſſione potius ita expeditâ, redit Evangeliſta ad Nov. Teſt. & qvidem Λόγον in illo incarnatum: Qvanqvam alij, qvi proximè procedentia etiam ad Tempora Novi Teſtament. referenda cenſent, hæc ita cum prioribus connectunt, ut vel heic explicetur, qvomodo venerit Λόγος in propria, nempè humanitatem aſſumendo: vel cauſa ſuperioris ſententiæ heic reddatur (exiſtente καὶ particulâ non copulativâ, ſed, more Hebræorum, cauſali) fieri ſc. credentes homines filios Dei, qvia Λόγος factus eſt homo; ſi enim ille filius hominis factus non eſſet, nec filij Dei nos fieri potuiſſemus, qvæ ſententia eſt Chryſoſtomi & Theophylacti:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

phylacti: vel etiam hoc admiratione majori dignum dictum eſſe, ad tollendam Lectori admirationem. Dixerat enim homines, qvi Chriſtum fide accepiſſent, filios Dei factos fuiſſe, qvod admirabile & penè incredibile Lectori videri poterat: dicit nunc, quod multò videtur admirabilius, Deum filium hominis factum eſſe, ut illud jam Lector qvod antea mirabatur, mirari deſinat: ut vult cum Auguſtino Euthymius.

XCIX. Maldonatus verò exiſtimat hæc verba cum verſu qvarto immediatè conjungenda eſſe, hoc modo ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν: καὶ Λόγος σὰρξ ἐγένετο: intermedia autem per anticipationem & veluti parentheſin, occaſione unius Verbi, Vitæ, dicta eſſe; Qvâ ſententia de cohærentia textus multæ qvæſtiones curioſæ deciduntur, & objectionibus Hæreticorum ſpecioſiſſimis, omnis color adimitur, calumniæq; Juliani Apoſtatæ & Enjedini unà, de ἀκολουθίᾳ totius hujus Procemii occurritur, ut placet Tarnovio ad hæc verba. Alphonſus autem Salmeron ſtatuit Evangeliſtam, confirmatâ jam in prioribus Divinitate Verbi, qvæ radix eſt Mediationis & Reconciliationis noſtræ cum Deo, alteram jam naturam pariter oſtendere, nempè Humanam, voce carnis ſignificatam.

C. De incarnatione igitur tribus ſe verbis expedit Evangeliſta, v. 14 hiſce nimirũ: ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο: In qvibus etiam tria veniunt conſideranda. I. incarnationis Subjectum, qvis ſc. carnem aſſumpſerit. 2. incarnationis Terminus, qvid nimirum Λόγος aſſumpſerit & 3. incarnationis Modus, qvomodo ſc. aſſumptio carnis noſtræ peracta fuerit.

CI. Incarnationis Subjectum eſt Λόγος, qva voce ſecundam Perſonam Trinitatis, unigenitum Dei Patris filium denotari, ex priore Diſputatione patet, ac ex proximè etiã ſeqventibus liqvet. Utut autẽ ſcriptura nullibi cauſã aſſignet, qvare ſecunda perſona Trinitatis, nõ verò prima vel tertia perſona carnẽ aſſumpſerit: ſancti tamẽ Patres piè hac de re diſſerunt, ſtatuentes I. unam tantum Perſonam incarnatam, tam qvia ad finem manifeſtandæ gloriæ Dei, noſtræq; utilitatis ac ſalutis promovendæ, uni perſonæ uniri carnem ſatis erat, qvavis Perſonâ eodem Deo exiſtente: tum qvia confuſio fuiſſet ſi plures Perſonæ eſſent unus homo, Et 2. magnâ Sapientiâ in-

ter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ter perſonas divinas electam Λόγυ,ſeu Filij perſonam : tum qvod
non ita qvadraret aliarum perſonarum proprietatibus, eſſe filios
Mariæ,ſicut ſecundæ perſonæ ſeu Λόγυ,qvi qvum genitus ſit à Deo
ab æterno verus Deus,magis debuit gigni à Maria in tempore verus
homo,qvàm nō genitus Pater,vel procedens à Patre & Filio Spiritus
ſanctus: tum qvia Mediatio inter Deum & homines magis illi con-
veniebat perſonæ,qvæ media erat inter Divinas Perſonas : tum
qvia Λόγῳ per qvem omnia creaverat Deus,nova creatio maximè
competebat: tum qvia conveniebat,ut homo, qvi reſtituendus e-
rat ad imaginem Dei,reſtitueretur per eam Perſonā,qvæ eſt imago
& character ὑποστάσεως Dei: tum deniq; qvia convenientiſſimum
erat,ut per eum adoptionem filiorum conſeqveremur,qvi natura
erat filius Dei.

CII. Terminus Incarnationis,ſeu illud qvod Λόγος aſſumpſit,vo-
catur σάρξ,per qvam vocem heic intelligitur,nec propriè dicta ca-
ro, pars ſc. corporis mollis & rubicunda, ex ſangvine mediocriter
reſiccato genita & fibras muſculorum complectens, definiente Lau-
rentio lib.5.Hiſt. Anatomi. cap. 5. qvo ſenſu accipitur illa Geneſ.2.
21. & 9.4. & 40.19. Exod.4. 9. &c. Nec ſola caro ſynechdochi-
ca,ſive ſolum corpus humanum,in qva ſignificatione adhibetur Pſ.
38.4. Rom.13.14. II. Cor. 7. 1. Nec ſola caro Metaphorica, ſive
tantum carnalis & fragilis conditio hominis,ſeu vilis & abjectus
ſtatus,uti fit Gen 6,3. Eſa.40.6. Jerem.17.5. I. Cor. 7. 18. I.Pet.1.24.
Phil.3.3; Multo minus hic accommodari poſſunt illa ſignificata
vocis carnis,qvibus ſumitur paſſim in ſcripturis in pejorem partem;
Sed per carnem heic intelligitur totus Homo corpore & anima
conſtans,perinde ut Pſ.145.21. Joel 2. 28. Matth. 24.22. Marc.13.20.
Luc.3.6. Rom.3.20.qvo etiam ſenſu Paulus ait Chriſtum factum eſſe
ex Patribus ſecundum carnem Rom.1.3. & cap. 9.5. Aut qvo modo
Petrus dixit 1. Epiſt. 4.1. Chriſtum paſſum eſſe in carne. Conferan-
tur loca. Joh. 6.51. I. Tim.3.16. Hebr. 10. 20. I. Pet. 3.18. item I. Joh.
4.2. & 2.Joh. v. 7. Hæc qvippe eſt caro illa,qvæ vocatur ſemen mu-
lieris Gen. 3.15. ſemen Abrahæ,Gen.22.18. Germen Davidis. Jerem
33.15. Filius Virginis,Eſa.7.14. Fructus ventris Mariæ Luc.1.42. Fru-
ctus lumborum Davidis, Act.2.v.30.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

CIII. Voluit autem Evangeliſta hoc loco vocabulo Carnis potius qvam hominis uti. 1. ut oſtenderet Λόγον non Perſonam Hominis ſed naturam aſſumpſiſſe, eamq́; integram conſtantem vero corpore & verâ animâ, tam rationali Luc. 2. 52 qvam ſenſitivâ Matth. 26. 67. & vegetativâ Apoc. 1. contra Apollinarem & Arium. 2. ut indicaret non phantaſma fuiſſe illud aſſumptum, ſed veram ſubſtantiam humanæ naturæ, Luc. 24. 30. contra Marcionitas & Manichæos 3. ut immenſam illam filij Dei gratiam aliqvo modo oſtenderet, ad qvam miſeram & abjectam conditionem Filius Dei è ſolio divinæ Majeſtatis propter nos deſcenderit. Qvãqvam enim potuiſſet de novo ſibi, qvam aſſumeret, creare humanam naturam, feliciorem & præſtantiorem, qvám in Adamo ante lapſum fuit, voluit tamen noſtram naturam nobis conſubſtantialem, qvæ propter fragilitatẽ, miſerias & infirmitates, qvibus poſt lapſum onerata eſt, caro appellatur, ex Maria aſſumere, unà cum infirmitatibus illis, ſed ſine peccato, ut hoc modo ex illis miſerijs naturam noſtram liberaret & nos ad æternam gloriam perduceret.

CIV. Nominat igitur carnem, ut ad noſtram miſeram hanc naturam beneficia incarnationis filij Dei pertinere non dubitemus, atq́; ideo non erubeſcit nos, qvantumvis miſeri, i. e. caro ſumus, fratres appellare Heb. 2. 11. qvia & ipſe factus eſt caro.

CV. Modus tandem Incarnationis exprimitur verbo ἐγένετο, qvod ſecundum naturam & conditionem unionis duarum naturarum hypoſtaticæ, ſive Incarnationis τοῦ Λόγου intelligendum eſt. Non enim Λόγος in carnẽ converſus eſt, nec caro in Λόγον mutata, qvaſi Incarnatio facta fuiſſet τρέψει ἢ ἀλλοιώσει καὶ συγχύσει, ut ſomniavit Euthyches: nec ex carne & Λόγῳ una tantum & tertia qvædam ſubſtantia conflata eſt, ex ſententia Apollinaris: nec Λόγος eſt cõjunctus carni, & invento homini virtutibus prædito ſe adjunxit, eo modo præſentiæ qvô Deus etiam aliis ſanctis inhabitat, juxta explicationem Ebionis & Cerynthi : nec admittenda heic nuda παράστασις, παράθεσις, ὁμωνυμία, ὁμοτιμία, εὐδοκία, ταυτοβουλία, ullũve Axioma Neſtorianum; ſed Λόγος manens qvod erat, factus eſt qvod non erat, nobis in principio, ut propterea de ſe Λόγος dicere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

poſſit non inconvenienter: Sum qvod eram, nec eram qvod ſum, jam dicor utrumq;.

CVI. Modus igitur Incarnationis in eo conſiſtit, qvod Λόγος heic dicatur factus caro, conſpicuus factus in carne I. Timoth. 3. 16. veniſſe in carnem. 1. Joh. 4. 2. & qvidem aſſumendo ſemen Abrahæ. Heb. 2. 16. ſive communicando carne & ſangvine inſtar puerorum Hebr. 2. 14. ita, ut nunc tota plenitudo Deitatis in Chriſto habitet corporaliter. Col. 2. 9. Qvæ loca omnia & ſingula evidentiſſimè demonſtrant Socinianos blaſphemo ore & animo docere ac ſtatuere, doctrinam de filij Dei Incarnatione, eſſe purum putum hominum ſuperſtitioſorum figmentum, ac dogma in Chriſtiana Religione ferme monſtroſiſſimum, opinionemq; indignam, qvæ in Chriſti Eccleſia locum habeat.

CVII. Neq; enim ex ſententia Photinianorum, ἐγένετο heic ſignificat fuit, & σάρξ infirmitates & afflictiones, qvaſi Johannes nihil aliud hiſce verbis dixiſſet, qvàm Λόγον, poſtqvam repudiatus à potiori parte mundi fuiſſet, fuiſſe afflictum, & mortem acerbam ſuſtinuiſſe: Qvum verbi ἐγένετο nativa & ordinaria ſignificatio ſit fieri; rariſſimè verò idem ſit qvod eſſe, & tum demum hunc habeat ſenſum, qvando textus evidentia cogit, ſemperq; tunc præſupponat τὸ fieri. ut Joh. 1. v. 6. Luc. 24. v. 19.

CVIII. Atq; ſic Spiritus Dei hoc brevi aphoriſmo, per Evangeliſtam, totum Incarnationis myſterium expreſſit, prudēter adeò temperans verba, ut ſimul & unitatem Perſonæ Chriſti, & cum ea differentiam naturarum oſtenderet. Unde Auguſtin, Lib. 13. de Trinitate cap. 19. Qvum lego, inqvit, Verbum caro factum eſt, in Verbo intelligo verum Dei filium, in Carne agnoſco verum hominis filium, & utrumq; ſimul in una perſona Dei & hominis ineffabili gratiæ largitate conjunctum.

CIX. Ita autem neceſſum fuit Mediatorem verum eſſe Deum, tum propter magnitudinem mali, qvo premebatur natura humana, qvæ cernebatur in peccati gravitate, cujus reatus infinitus, propter infinitum bonum offenſum: in infinitæ iræ Divinæ Juſticia: in potentia mortis, qvæ major qvam ut ab ulla creatura ſu-

perari potuerit: & tandem in crudeliſſima Diaboli Tyrannide; tum etiam propter impotentiam & infirmitatem creaturæ ad reſtituenda bona per peccata amiſſa, ſapientiam ſc. abſconditam à Principibus hujus ſeculi, qvæ eſt ſcientia ſalutis in remiſſionem peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: Juſtitiam perfectam, qvâ liberaretur genus humanum ab injuſtitia & peccato, imputata Juſtitia Chriſti, ac donaretur & ornaretur plenâ in Chriſto Legis divinæ obædientia: Sanctificationem & Redemptionem; qvæ omnia & ſingula ad reparationem imaginis Dei reqviruntur teſte Paulo. I. Cor. 1. 30.

CX. Sed & oportuit Mediatorem eſſe hominem, reqvirente hoc Juſtitiâ Dei, qvo inobædientia in carne noſtra commiſſa, in eâdem puniretur: 2. reſtitutione imaginis Dei amiſſæ per peccatum, qvæ fieri debebat per naturalem imaginem Dei: 3. adoptionis ratione, qvum voluerit nobis naturæ ſocietate jungi, & Pater noſter fieri, ut nos ipſius membra effecti, filij Dei fieremus: ac tandem 4. reſurrectionis certitudine, vi & efficacia, qvæ in hoc ſita, qvod Mediator noſter ſit Homo.

CXI. Hæ autem duæ naturæ unam tantum conſtituere debebant perſonam, tum ut Deum & homines unum faceret, tum ut qvadam neceſſitate utriq; parti junctus eſſet: tum etiam ut opera Redemptionis in humana natura peracta, eſſent ſufficiens pretium pro peccatis, qvibus infinitum bonum erat offenſum. Et ex hac unione perſonali, qvæ ab omnibus aliis unionis modis differt in infinitum, idiomatum profluit communicatio realiſſima.

CXII. Huic Propoſitioni, qvâ magnum Incarnationis myſterium tribus verbis expoſuit Johannes, tres alias ſubjungit Propoſitiones: Et qvidem primam hanc: *καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*; qvam alij referunt ad ipſam carnem Chriſti, in qva volunt *Λόγον* habitaſſe, veluti in tabernaculo qvodam, ut ita *ἐν ἡμῖν* idem ſit, qvod in carne ejusdem naturæ cum noſtra, reclamante interim genuinâ ſignificatione verbi *ἐσκήνωσε*, qvo ſignificatur temporaria commoratio, qvum contra *Λόγος* non

ſic

ſic ſit naturæ humanæ copulatus, qvaſi eam dimiſurus aliqvando eſſet, ſed veluti perpetuò in ea manſurus.

CXIII. Alij exponunt illam Propoſitionem ſpiritualiter de inhabitatione per fidem & gratiam, juxta illud Eph. 3 v. 7. qvam expoſitionem difficilem reddit contextus, agens de Incarnatione qva Λόγος viſibilis & corporalis factus eſt. Omnium ergo commodiſſimè videtur hic locus accipi de cōverſatione in exinatione & humiliatione Λόγου inter homines, qvæ Phil. 2. v. 7. deſcribitur, ut in nobis, idem ſit qvod inter nos juxta prædictionem Baruch 3. v. 38. & Zachar. 2. v. 10. qvæ ſignificatio Pronominis ἐν occurrit etiam Luc. 22. v. 26. Act. 2 29. & 18. 11.

CXIV. Proponit igitur nobis verbum σκηνόω, qvod à σκήνη deſcendit, commorationis in terris brevitatem & commorantis ſtatum. Qvemadmodum enim ij qui in tabernaculis habitant, vel peregrinantur cum Patriarchis Hebr. 11 v. 38. vel militant, vel peregrinantur cum Patriarchis Hebr. 11 v. 38. vel milites ſunt: ita & Filius Dei qvi exiverat à Patre & venerat in mundum, iterum relinqvebat mundum, vadens ad Patrem Johan. 16. v. 17. Et non modo intercedit pro nobis Rom. 8. verſ. 34. ſed & umbraculo protegit nos Apoc. 7. v. 15. fine ſcilicet Λόγου incarnati & officio exiſtente, deſtruere opera Diaboli, 1. Johan. 3. v. 8. conterere caput ſerpentis Geneſ. 3. v. 15. qvo per ipſum nos ſimus plusqvām victores in omnibus adverſitatibus Rom. 8. v. 37. crucifigentes carnem noſtram cum affectibus & cupiditatibus Gal. 5. v. 24. vincentes mundum, I. Johan. 5, 5. usq; dum Deus Pater contriverit Satanam ſub pedibus noſtris Rom. 16. v. 20.

CXV. Ita ergo hæc Propoſitio humanitatis Chriſti eſt aſſertio, ex eo qvod habitavit, tāqvam hoſpes aut peregrinus, ad tempus inter homines, ut alius homo humano more vivens. Non enim elegit Deus ſolitariam & ab oculis hominum remotam vitam, ut Johan. Baptiſta: Sed inter homines habitavit, ſeu, ut Budæus vertit, habuit inter Apoſtolos habitaculum, fuit in contubernio cum illis, monſtrans ita ſe verum hominem, non vero, ex ſententiâ Manichæi, φάντασμα eſſe: ut ſic huc pertineat hiſto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ria vitæ Chriſti ab ejus nativitate, factâ in temporis plenitudine, ad mortem usq; crucis.

CXVI. Perinde vero ut primâ illa propoſitione veram humanitatem Chriſti ab humanæ naturæ proprietatibus adſtruit Evangeliſta, ita ſecundâ qvæ hæc eſt : καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ τοῦ πατρὸς (qvam parentheſi includunt Interpretes communiter, pro connexione commodiore antecedentis Propoſitionis cum proxima ſeqvente) veram divinitatem à gloria virtutis, qvæ in Chriſto conſpiciebatur, qvaſi ante oculos ponit.

CXVII. Viderunt enim Apoſtoli diligenter, & qvaſi fixis oculis inſpexerunt & conſiderarunt, attentè & conſideratè viderunt, diligenter & perſpicuè contemplati ſunt ac ſpectarunt, (hæc enim eſt emphaſis verbi θεάομαι) ceu fide præditi, præ cœteris Judæis, Scribis & Phariſæis fide deſtitutis, non eſſentiam Λόγου incarnati, qvum illam nemo videre poſſit, ſed gloriam divinitatis ejus, in tot ſignis ac doctrinâ adeò potenti. I. Joh. 1. 1. Matth. 13. 16.

CXVIII. Δόξα namq; (qvam vocem Lutherus in Poſtilla Eccleſiaſtica pag. 170. mavult Majeſtatem aut magnificentiam qvam gloriam vertere) hoc loco non ſolum latè ſparſam famam ſignificat, & nominis celebritatem, ſed etiam iſta unde talis fama ſpargitur, & qvorum cauſâ qvis celebratur: ut ita qvod Evangeliſta heic poſuit: Vidimus gloriam ejus: perinde ſit ac ſi dixiſſet, vidimus Majeſtatem ejus in tot admirandis ſignis, mirificam dignitatem in ſapientiſſima ſimul ac potentiſſima doctrina, tot magnifica facinora ejus, & vitam qvæ omnes dignitatis numeros implevit; denotante ſic gloria totum illud, qvo Chriſtus in hoc ſeculo ſuam comprobavit divinitatem, & ſe Dei filium eſſe mundo oſtendit.

CXIX. Conſpiciebatur igitur hæc gloria Chriſti ab Apoſtolis credentibus, præcipuè in hiſce, videlicet in divina doctrina, in ſanctitate vitæ, in beneficentia, in miraculis, in teſtimonio Patris, qvum baptizaretur à Johanne Baptiſta Matth. 3. 17. & col-

loqveretur in monte cum Moſ: & Elia, præſentibus Johanne Evangeliſta & Petro Luc. 9. 30. (qvo Evangeliſtam præcipuè reſpicere contendunt nonnulli) in reſurrectione à mortuis & aſcenſione ad cœlum, ac viſibili tandem donatione Spiritus Sancti, Conferantur loca Joh. 2. 11. & 6. 68. & 7. 46. & 11. 4.

CXX. Dicit a. gloriam ejus i. e. in eo terminatam & qvieſcentem; nam qvum Deus ſit, ſicut omnium eſt principium, ita etiam ultimus eſt finis. Noſtra a: & Angelorum gloria haud debet in nobis terminari, ſed ad Deum omnis boni datorem & cauſam referri. 2. Cor. 10.

CXXI. Non fuit v. hæc gloria, hæc magnificentia & Majeſtas vulgaris & communis, ſed ſingularis, ſc. δόξα ὡς μονογενοῦς παρὰ τοῦ Πατρός: In qvibus verbis ὡς non eſt improprietatis, ſed veræ approbationis nota, qvum non ſimilitudinem denotet, qvaſi alius ſit unigenitus, cui ſimilis ſit hic in gloria, ſed veritatem, perinde ut Matth. 14, 5. I Cor. 4. 1. & paſſim alibi, ut ita ſenſus ſit: Vidimus talem gloriam, talem Majeſtatem & magnificentiam, qvalem Filium Dei habere decet, nempè non communem cum ulla creaturarum ſive inviſibilium ſive viſibilium, ſed propriam ſolius Dei, & proinde incommunicabilem cum ullo, qui non eſt naturâ Deus.

CXXII. Qvanqvam n: in Prophetis & Apoſtolis aliiſq; magnam Deus nominis ſui gloriam, miraculorum & doctrinæ luce declaratam, oſtenderit: Chriſti tamen miracula, qvæ verbo, ut Dominus in proprio nomine, non v. prece interveniente, in alieno; nomine, ut ſervus, perfecit, & doctrina, qvæ authoritatem Domini non Miniſtri aut ſervi referebat, cum teſtimonio paterno, reſurrectione à mortuis, propriâ virtute peracta, aſcenſione ad cœlos, & miſſione viſibili Spiritus ſancti, certiſſima ſunt Divinitatis teſtimonia, qvæ teſtantur ipſum eſſe unigenitum à Patre.

CXXIII. Vocatur autem Λόγος μονογενὴς unigenitus, ſeu ut qvidam vertit ſoligenitus, indicante hoc ipſâ etiam vocis compoſitæ naturâ, qvod ſolus ſit ex patris ſubſtantia genitus, juxta

dictum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ctum Hebr. 1. v. 5. & pronide ὁμοούσιος & æqualis Deo patri, Johan. 5. v. 18. unde differentiâ fluit inter ipſum unigenitum, qvi eſt naturâ & per æternam generationem filius Dei, & nos credentes multigenitos (ut ita loqvamur) qvi ex gratia & per adoptionem filij Dei ſumus ſup. v. 12.

CXXIV. Sed & innuere hac voce voluit Evangeliſta, tantam hujus unigeniti, qvantam Patris, eſſe gloriam, qvum qvæcunq; habet Pater, ejus, ceu talis filij unigeniti, ſint. Johan. 16. verſ. 15. idq; ſecundum divinitatem per naturam & generationem æternam, ſecundum humanitatem verò per gratiam & unionem.

CXXV. Non enim ſtatuendum eſt, cum Arianis, unigenitum Chriſtum dici à patre, vel qvod ſolus à patre ſit creatus, cœtera omnia à Patre per ipſum, qvum hac ratione Solicreatus dicendus eſſet: vel ob excellentiam tantum, quaſi eſſet creatura, omnium ſuprema, qva ratione, tanqvam non excedens eſſe & ſtatum creaturarum, Unicreatus diceretur: vel qvod ipſe ſit ſolus nuncius & Angelus conſiliorum Dei, qvo reſpectu Uniangelus, vel aliqva ſimili voce appellandus eſſet: vel qvod ſolus ipſe inter creaturas creator ſit qvod eſſet non unigenitum ſed uni creatorem dici]: ſed ſimpliciter credendum illum unigenitum dici, qvod ſit ejusdem ſubſtantiæ cum Patre, qvum unigeniti nomen non ſolum unitatem, ſed ortum ſimul indicet, qvorum neutrum creaturæ convenit, generatione ſcilicet propriâ & vera non exiſtente, niſi qvi generatur ejusdem ſit ſubſtantiæ ſpecificæ cum genitore, qvæ tamen generatio talis filij, non conſtabat materia & carne, unde etiam Λογον illum hactenus vocaverat.

CXXVI. Accidunt enim generationi ſemen, fœmina, tempus, mutatio, qvæ defectum corporis conſeqvuntur, ac proinde à Deo qvam longiſſimè abſunt: ſatis vero eſt ad productionem naturalem, ut ſit generatus viva ὑπόστασις, ex vivente ὑποστάσει, ſimilis ei qvò ad ſubſtantiam & vi productionis: qvo modo, imo ſublimiori etiam, vox generationis in hoc negotio

pur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

purganda eſt ab omni imperfectione, atq; ita DEO applicanda.

CXXVII. Idem vero Chriſtus qvi heic & infra verſ. 18. item cap. 3. v. 16. 18. ſicut & I. Johan. 4. v. 9. dicitur unigenitus, vocatur etiam primogenitus Rom. 8. v. 29. Col. 1. v. 15. 18. Hebr. 1. v. 6. & Apocal. 1. v. 5. idq; primo qvidem ſecundum naturam humanam, ob qvam fratres habet multos, qvorum primus ipſe dicitur, qvia in ipſo multi ſunt in filios Dei adoptati. Unde, obſervante Cyrillo & Athanaſio, in illis dictis, qvibus Chriſtus dicitur primogenitus, ſemper vox aliqva, qvæ indicat id ſecundum humanam naturam dici, adjungitur. Secundò verò, etjam ex mente Cyrilli, dici poteſt primogenitus ſecundum naturam divinam, tum abſolutè, qvum nomen primogeniti non ſemper habeat relationem ad alios, qvorum talis primus ſit, ſed ſignificet interdum tantum ipſum primogenitum eſſe, Exod. 13. v. 2. Luc. 2. v. 7. &c. Ut ita dicatur filius primogenitus patris ut Deus, ſicut matris ut homo, qvia ipſe primus genitus & natus eſt Eph. 3. v. 15. non qvod ejus paternitas creata ſit, ſed qvod ſit prima cauſa reliqvorum: ita filius primogenitus hominum dicitur, qvia omnis filiatio ab ipſo eſt, in qvo adoptati ſumus. Unde tamen non ſeqvitur ipſum creaturam aut filium adoptionis eſſe, qvod volunt Ariani, ſed id tantum, qvod ſit cauſa cæterarum creaturarum.

CXXVIII. Ita ergo primogenitus dicitur Chriſtus omnis creaturæ, non primocreatus; ut & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. Teſte Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 4.

CXXIX. Qvod autem additur παρὰ τοῦ πατρὸς conjungunt nonnulli cum δόξα hoc modo: vidimus gloriam à Patre, qvam ſcilicet Filius à Patre habuit unigenitus, juxta illud, II. Petr. 1. v. 17. Qvamvis melius copuletur cum nomine unigeniti, idq; non tam ſubintellecto Participio ὄντος aut ἐξελθόντος, ut vult Beza, qvam ex Idiotiſmo Linguæ Hebraicæ, in qva non eſt inſolens, ut nomina retineant conſtructionem Verborum & Participiorum:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

ut ita ſenſus ſit: vidimus gloriam ejus, gloriam qvaſi unigeniti à Patre, id eſt Patris, aut ejus qvi unus à Patre genitus ſit.

CXXX. Nec vero hac Propoſitione ſola extraordinaria gloriæ Divinę manifeſtatio in ſtatu ſervili Chriſti, qvando miſſus fuit in ſimilitudine carnis peccati, Rom. 8. v. 3. & frater in ſimilitudine hominum, habitu inventus ut homo. Philip. 2. v. 7. aſſimilatus per omnia fratribus, Hebr. 2. v. 17. deſcribitur: ſed etiam manifeſtationis certitudo, teſtimonio Apoſtolorum eum videntium comprobatur, & ipſa gloria qvæ & quanta fuerit docetur.

CXXXI. Non eſt autem putantum qvod omnem unigeniti gloriam credentes in humanæ ſalutis diſpenſatione viderint, qvum illa ſit infinita: ſed tantam viderunt, qvanta ad ſalutis noſtræ diſpenſationem conducit, perinde ut nec omnia dicta & facta Chriſti in terris viventis in literas ſunt relata, ſed tantum neceſſaria ad fidem in Chriſtum & vitam æternam, Johan. 20. verſ. 31.

CXXXII. Vidimus igitur in hac Propoſitione non ad ſolam corporis viſionem referendum (nam & Judæi ſic Chriſti gloriam viderunt ac nihil minus qvam gloriam filij unigeniti arbitrati ſunt,) ſed magis ad agnitionem cordis credentis. Nam ſoli fideles (ut Apoſtoli & pauci alij in Nov. Teſtament.) viſis tot ſignis, atq; auditâ tam eximiâ Doctrinâ, gloriam hanc unigeniti filij Dei agnoverunt. Impij vero, qvi fide deſtituebantur, ſolam mundi pompam morabantur, unde etiam hanc unigeniti majeſtatem animadvertere haut potuerunt.

CXXXIII. Atq; ita expreſſit heic Evangeliſta, qvid ille Λόγος ſit, de qvo tam ipſe in ſuperioribus, qvàm Moſes Cap. I. Gen. loqvutus eſt, nempè unigenitus Dei Filius, qvi omnem patris gloriam & majeſtatem æqvalem cum ipſo habet: qvare & unicus ac unigenitus dicitur, qvo à reliqvis filiis Dei, qvi non ſunt naturales Dei filij, ſeparetur, omnium excellentiſſimus, & primogenitus: qvæ verba ſunt Lutheri in Poſtill. Eccleſiaſtica pag. 177.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

CXXXIV. Ultima autem hujus Proœmij Propoſitio hæc eſt: πλήρης χάριτος, καὶ ἀληθείας : qvæ verba nonnulli referunt ad Johannem Baptiſt. & connectunt cum ſeqventibus hoc modo: πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας Ιωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, non conſiderantes illa qvæ ſeqvuntur verſ. 16. & 17. ubi plenitudo cum gratia & veritate ipſi Chriſto tribuitur : nec obſervantes nullum ullibi purum hominem plenum gratiæ & veritatis appellari.

CXXXV. Alij verò rectius, referunt hæc verba ad Λόγον, vel legentes hunc in modum: Λόγος σάρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας; intermedia vero verba parentheſi includentes, ut ita aperiat hæc propoſitio, qvæ bona attulerit Λόγος factus caro, ſecum in mundum, nempè gratiam & veritatem: vel etiam ſtatuentes Hebraiſmum eſſe, & ellipſin verbi ſubſtantivi hoc modo: Plenus erat gratiâ & veritate, qvaſi hæc verba rationem gloriæ perſpectæ redderent. Nonnulli, ſeqventes bina exemplaria græca manuſcripta, teſte Beza in annotationibus, legunt πλήρη in accuſativo referentes illam vocem, vel in Maſculino genere ad ἐθεασάμεθα hoc modo: vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: vel ad δόξαν in fœminino, legentes ita: Vidimus gloriam plenam gratiæ & veritatis. Nec deſunt qvi, præter lectionem Græcam omnium tàm manuſcriptorum, qvàm typis expreſſorum, qvæ qvidem hodie circumferuntur, legunt pleni in Genitivo, qvaſi ita ſonarent verba: Unigeniti à Patre, pleni gratiæ & veritatis. Qvæ tamen lectiones omnes in ſenſu nihil mutant, dum ſingulæ ad Λόγον caro-factum πλήρης referunt.

CXXXVI. Qvod autem dicitur Λόγος σάρξ γενόμενος πλήρης, id intelligendum ſecundum eandem naturam, qvæ in tempore accipere, & in qva videri potuit, ſecundum eam enim, qvæ dare tantum poteſt, eſt ipſe πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος ἐν Χριστῷ σωματικῶς, τουτ᾽ ἔστιν ἐν σαρκὶ (exponente Damaſceno lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 6. κατοικοῦν. Col 2. 9.

CXXXVII. Qvid vero per voces Gratiæ & Veritatis hoc loco

veniat intelligendum, ex anthitheſi Moſis, ſeu Legis,& Chriſti ſeu Evangelij, qvæ inculcatur verſ. 17. minimè obſcurum eſſe poteſt. Legi n:morali, qvæ eſt miniſterium peccati, iræ & mortis Rom. 4. 15. II. Cor. 3, 6. opponitur Gratia Chriſti, cum factus ſit nobis à Deo Patre Juſtitia, cujus imputatione per Dei gratiam juſtificamur, id eſt grati & accepti ipſi reddimur ad vitam æternam. Legi autem Ceremoniali opponitur Veritas Chriſti, dum omnia qvæ in Lege præfigurata fuerunt in Chriſto ſint impleta.

CXXXVIII. Toletus verô ſtatuit hoſce duos affectus respondere duobus ſuſperius explicatis, Vitæ ſcilicet & Luci; Ita ut Gratia ad Vitam, Veritas ad Lucem referatur: qvum Chriſtus plenus fuerit gratiæ, qvia nos Patri gratos fecit. Eph. 5. nobisq́; in peccatis mortuis vitam reſtituit: Veritatis vero qvia viam ſalutis docuit, & ſecreta divinitatis aperuit. infra v. 18.

CXXXIX. Lutherus autem, in Poſtilla Eccleſiaſtica, haſce voces, qvas ſcriptura ſæpius conjungit, ita exponit, ut Gratia ſignificet, omnia Chriſti Deo grata & accepta eſſe: Veritas vero cuncta ſolida & perfecta absq́; omni fuco falſiq́; ſpecie; qvo intelligamus nihil eſſe omnium in Chriſto, qvod non gratum Patri & verum exiſtat. Contrarium autem (dicit) inveniri in hominibus, qvi carent fide: nempè nihil niſi indignationem & falſitatem, ita ut omnia eorum, talium, ſecus qvam ſtatuunt Papiſtæ, & Pelagiani, ingrata Deo atq́; fucata exiſtant. Juxta dictum Pſal. 115. 11. Omnis homo mendax.

CXL. Auguſtinus tandem per Gratiam, Scientiam; per Veritatem, Sapientiam intelligit, cujus utriusq́; Chriſtus nobis fuit cauſa. Sapientiam vocat rerum cognitionem ad divinitatem, Scientiam vero notitiam eorum, qvæ ad humanitatem ſpectant.

CXLI. Neq́; eſt exiſtimandum cum Theophylacto, Chriſtum tantum dici ab Evangeliſta gratiâ plenum, qvod plurimum haberet in dicendo gratiæ, juxta dicta. Pſalm. 45. v. 3. Luc. 4. verſ 22. Johan. 4. v. 46: Verum etiam qvod plenus fuerit omni illâ gratia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

tiâ, qvam homines unquam acceperunt vel accipient, ut ita fuerit in Chriſto gratia capitis, qvia caput erat totius Eccleſiæ, & tanqvam ex capite diffundebat gratiam in membra.

CXLII. Chriſtus gratiæ Oceanus eſt. Sicut ergo Oceani aqva omnium tam fluviorum, qvam fontium aqvas, ſi vel unum in locum omnes confluant, copiâ vincit: Ita Chriſti Gratia omnium Angelorum, hominumq; gratias, ſi vel ex omnibus una fiat, abundantiâ excedit, qvum ſit, ut talis perſonæ, infinita, Angelorum contra finita exiſtente, & ratione hominum fons & origo omnis gratiæ, juxta ſeqventia. v. 16.

CXLIII. Plenum luminis eſſe dicimus, qvod clariſſimum eſt, ſed aliter ſolem, aliter qvod à ſole multo colluſtratur lumine, plenum luminis appellamus: Sic gratia Chriſti eſt gratia ſolis Eccleſiæ Eſa. 60. 20 Malach. 4. 2. Hominum vero univerſa gratia ab hujus ſolius gratia proficiſcitur.

CXLIX. Qvando igitur Maria Luc. 1. v. 28. dicitur gratia plena, ſeu juxta originalem textum κεχαριτωμένη ɔ: gratis dilecta ſeu, ad verbum, gratificata, qvam ſcilicet Deus pro ſua gratuita bonitate ſingulariter gratam & acceptam habuit, juxta verſum 20. aut alij nonnulli dicuntur pleni fide & Spiritu Sancto Luc. 1. 15. 41. 67. Actor. 2. 4. & 4. 8 31. & 6, 3. 5. & 7. 55. & 9. 17. & 11. 24. & 13. 9. 52. ſciendum eam gratiam, neq; ſpecie eandem cum gratia Chriſti, neq; modo eodem in illis fuiſſe. Chriſto Spiritus non eſt ad menſuram datus. Joh. 3. 34. Sanctis certum dimenſum I. Cor. 2. 1. 11 & certa donationis menſura obtigit. Rom. 12. 3 II. Cor. 10. 17. Eph 4. 7. In Chriſto per unionem perſonalem, eamq; indiſſolubilem & perpetuam, Col. 2 9. in hominibus per gratuitam inhabitationem, eamq; temporariâ aliqvãdo. I Cor. 6. 19. Eph. 4. 30. & qvæ amitti poteſt.

CXLV. Neq; tamen huic dicto qvod dicitur Chriſtus plenus gratiâ ratione unionis, qvæ incepit in momento conceptionis & nativitatis, qvicqvam derogat illud qvod dicitur Chriſtus, Luc. 2. 52. profeciſſe gratiâ apud Deum pariter & homines, qvum, exponente Cyrillo, non ut Λόγος & Deus profeciſſe intelligatur;

 verum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

verum, qvia magis eum indies admirabantur homines, illorum potius de Jeſu opinio, qvam illius perfecta creſcebat gratia. Atq; ita dicitur profeciſſe gratiâ, qvatenus illam magis exerebat, ac per opera majora manifeſtabat. Unde Gregorius Nazianzenus: Siqvis, inqvit, eum (ſc. Chriſtum) ex operibus perfectionem aſſeqvutum fuiſſe, aut poſt baptiſmum, vel reſurrectionem à mortuis in filium adoptatum fuiſſe dixerit, anathema ſit. Neq; enim qvod cœpit, aut progreditur aut perficitur Deus eſt, tametſi hæc de eo idcirco dicantur, qvod paulatim hominibus inclaruerit. Hæc ille.

CXLVI. Plenus tandem Veritatis erat Chriſtus, tum qvia per ipſum omnes Dei promiſſiones, humano generi factæ, impletæ ſunt 2. Cor. 1. 20 tum qvia umbræ & figuræ veteres in ipſo & per ipſum explicatæ & declaratæ ſunt. Matth. 5. 17 tum qvia mendacium in ore ejus nunqvam fuit 1. Joh. 18. & 2. 21. tum qvia plenus erat cognitionis Dei, qvam nobis aperuit, & propter qvam in mundum venit. Joh. 19. tum qvod ſuos vere renovet Spiritu mentis, ut fiant novi homines, qvæ renovatio vocatur veritas in Chriſto. Eph. 4 24. tum qvia bona, beneficia, & dona Chriſti Mediatoris non ſunt fallacia, fluxa, vana & evanida, ſed vera, ſtabilia, ſolida, & perpetua: Qvanqvã non deſint qvi Veritatem ad duas in Chriſto naturas referunt, qvod nihil falſum, nihil ſimulatum haberet, ſed verè eſſet, qvòd appareret, verus Deus, & verus homo. Hanc fidem de tali Λόγῳ tum ab æterno, tum in tempore Μεσίτῃ omnium temporum unico, cum ſuâ gratiâ & veritate, adeoq; περὶ Θεότητος καὶ σαρκώσεως τοῦ Λόγου confirmet in nobis Deus Pater per Spiritum utriusq; ſanctiſſimum. Cui individuæ Trinitati ſit Gloriâ Laus & Honor in ſecula ſeculorum, Amen.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1342